





Epigrammaton
IOANNIS DVNBARI
Megalo-Britanni
CENTVRIÆ SEX,
Decades totidem.

MARTIAL, lib. 7. Epig. Ad Lausum.

Triginta toto mala sunt Epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

LONDINI,
Ex Typographeo Thomæ Purfooti. 1616.

Syn. 8. G1.12
K-13-37

Academiae Cantabrigiensis
Liber

SERENISSIMO, & potentiſsimo, IACOBO *Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ Regi* &c. S. I. E. Æ.

QVum non niſi magna magnos deceant: mireris meritò, Sereniſsime Domine, quâ fronte ego minimus haſce ingenioli mei tricas tibi, non tantùm magno, ſed & maximo Monarchæ conſecrare audeam: ſed cùm ea ſit animi tui cœleſtis magnitu-

nitudo, vt ne minimorum etiam ſedulitatẽ, tanquam alter Macedo dedigneris: ſed & pro conſuetudine tuâ in ſuo genere ſingula amplectaris: mihi nec & impræſentiarum hìc verendum eſſe confido: Imò nec diffido, quin hæ tibi placere poſſint, quæ ſacro ſanctæ tuæ Maieſtati conſecrantur, priores tres Epigrammaton meorum Centuriæ, in quibus, ne tam frequentiores, quàm meritißimæ tuæ decantatæ laudes verecundiam tuam diuinâ defatigent citiùs, quàm me, vt officium eſt, ſatient; iocis quibuſdam, aliiſque paſſim intermiſtis ludere conatus ſum; eo autem temperamento, vt de illis queri nequeant quicunq; de ſe benè ſenſerint. Novi equidem, vt cum Pindaro, ſed latinè loquar, me opſonium inuidioſis dediſſe: verùm ſi te Iouem Britannicum ſereniori aurâ propitium inueniam, nil bronculorum hominum naſu

nasutam illam moror proter-viam: quin & si ea tua erga me fuerit solummodo mens, ut erga alios est mos, me ædepol, ad maiora provocabis. Habes hìc præterea Panegyricum quem præfixum Serenissimæ simul Maiestati tuæ consecro, cui etiam nisi placeat non inficias eo quin perire debeat. Deus optimus maximus te regnis tuis, & reipublicæ Christianæ diutissimè incolumem servet. Aeternùm vale.

Sacratissimæ tuæ Maiestati

devotissimè subditus,

Io. Dunbar.

Anagrammata Regis, & Principis, *quæ latinè ita ſonant, Remedium vitæ,* & bene placens: Cor totus, &c.

ΙΑΚΩΒΟΣ
ΚΗΡΟΛΟΣ
} ΣΤΕΥΑΡΤΕΟΣ.

ΑΚΟΣ ΒΙΩ
ΚΗΡ ΟΛΟΣ,
} Τ' ΕΥΑΡΕΣΤΟΣ,

Ad Iacobum Regem.

VT Vitæ *es* medicina placens; *ſic vſq; revivas*
In corde, ô *gnati vivida* vita *tui!*

AD IACOBVM magnę Britanniæ, &c. *Regem, Panegyricus.*

CVi Nymphæ nova plectra parant? cui præſes (Apollo
Caſtalidumq; deus tantos cõvolvit honores?
Hîc laudes Rex magne tuas, ſacrandaque ſeclis
Nomina, Mœonijs quæ vix memorãda Camœnis,
Pectine pierio, & ter centum ingentibus auſis
Mens avet, & toto vivum te involvere cœlo.
Vnde autem incipiam, quo ſit mihi fine tacendũ,
Quæ medio dicenda loco, quis denique verſus,
Ordo mei ponendus erit: quæ prima tuarum
Hîc ſurgat graviore tubâ ſuprà æthera laudum,
Totus ego dubito, ſenſuſque abrumpor in omnes.
Scilicet, an potius prima hinc exordia ſumam,

Quòd tibi tercentum vinclis constrictus ahenis,
Sub pedibus iaceat fremebundo pectore Mavors,
Inque vicem Pax alma sacros turrita capillos,
Arte triumphantem meritis te immisceat astris?
An verò eximias dicam finxisse Camœnas,
In templis tibi corda suis? quòd maxima Pallas,
Et Charitum iucunda Trias frontemq;,animumq;
Ornârint,geminas vel quòd Suadela mamillas
Lactandas olim dederint: quòd guttu re in imo
Attica mellificârit apis: quòd sibila serpens
Poneret, arrectas tollens ad sydera cristas,
Mellitos vocum globulos dum audiret ab ore
Rex Iacobe tuo; verùm sunt hisce priora
Virtutum monumenta tibi, maioraque làudis
Argumenta tuæ; seu celsam à sanguine mentem,
Seu magnũ memorare genus,quòdve ordine lógo
Centum & sex numerâris avos in stẽmate,Reges,
Qui per tot palmas,redimitaque tempora lauris,
Sceptra invicta tibi dederant; sed & ista parentum
Gloria:maiorum laudes, sed in ordine laudum,(est
Quæ tibi debentur minimas censemus; in illo
„ Parvus honos cuius virtus in origine solâ.
Nempe super titulis,& avito stemmate scandis
Dotibus ipse tuis animi,sic fulgure rerum
Præcellis, sic voce vales,sic mente triumphas:

Vt

Vt nullos tibi si radios in origine splendor
Nobilitasque darent, generi celsissimus ipse,
Ipse tuo lucem eum nobilitatis honore
Præberes: tanta est quæ æternùm in pectore spirat
Ipsa tuo virtus: qualem si pristina quondam
Secula nouissent, Heroas Græcia nullos
Iactâsset, nostras nunquam veniisset ad aureis
Æacidæ immortale decus, non gloria Vlyssis;
Laomedontæum siluisset barbara germen
Troia suum: nullos Alcmenæ excelsa labores
Sensisset soboles: nec enim Saturnia Iuno,
Aut angues misisset atrox, aut bellua Lernæ,
Vertice centeno crebros creuisset ad ictus,
Æripedem nunquam memorâssent Mænala cervâ.
Nobis nulla horum sparsisset pagina famam:
Herculis in laudes, tum si fortasse fuisses
In terris Iacobe, tuus sed & Herculis iste
Vicisset clavam calamus, tuque vnus in ore
Pro cũctis Rex magne fores, ipso Hercule maior:
Scilicet Alciden solo pro robore rumor
Sustulit, & celsis morientem immiscuit astris:
Tu verò Fatorum expers, quo clarius vsquam
Nil prior, & præsens, nil postera sentiet ætas,
Iam geminâ virtute cluis: nam in corpore vires
Vt sileam generose, tuas, & corda virili

Apta

Apta animo frontemq; gravẽ, vultumq; verendũ,
Brachiaq;, & triplici vallatum robore pectus:
Quis dotes animi, mentisque arcana remittat?
Ingenij quis facta tui depingere versu,
Pierio se posse putet? describere vates
Munera Cecropiæ poterunt, citharamque Lycæi,
Et virgâ Tegeææ tuâ: sacramq; iuventam (fluctus,
Virginis Astrææ; verùm quot in æquore (arenas
Quotq; habet astra Polus, quotq; aurifer Hebrus
Promptiùs enumerent, celsâ quâm mentis in arce,
Dicant magne, tuæ quæ dona inclusa recumbant.
Hinc pietas, hinc sancta fides, hinc gratia puras,
Stat tibi fusa comas, placidoq; in pectore regnant.
Illinc relligionis amor, prudentia rerum,
Maiestasque sedent: simul est clementia dulci
Voce sonans: totam veneranda modestia sese
Exerit in faciem: ratio penetralia mentis
Quæ tenet, in medio virtutum excelsa refulget.
Qualis ab Oceano rutilâ dũ lampade Phœbus
Surgit, & auroram roseis advectat habenis;
Igneus ille, micans nubes dissolvit opacas
Adventu propiore, poli dum extrema pererrat
Culmina: tum cessant tempestatesque sonoræ,
Et pluviæ, & venti: madidas in carcere pennas
Æolus exsiccat, nulloque exercita motu

Cæ-

Cærula pacantur: ſic nec metuenda colonis
Arua, nec ignavis vndarum iniuria nautis:
Haud aliter Rex magne, tuo quæ celſa cerebro,
Conſcia mens recti, rectâ ratione tumentes
Affectus in corde domat: iactantia primùm
Cedit iners: fugiunt iræ, non æqua recedit
Aſperitas, ſimulac, & vana ſuperbia torvos
Pergit ad Heſperios, ſiculaſque adnavigat oras
Turpis avaritiæ fervor, neve audet ad aulam
Pectoris accelerare tui: contraria virtus
Non ſinit; illa tuis ſic inſidet ima medullis,
Sic altùm erexit circùm præcordia ramos,
Vt iam vitales rurſum ſi carperet auras
Attalus, haud vllis tibi conditionibus vnquam
Certaret: licet hunc tantùm eſt mirata vetuſtas
Munificum, populos inter, gentemque Latinam,
Vt nunc ille hominum volitet redivivus in ore
Invitâ invidiâ, & tenebroſo gurgite Lethes,
Et longâ annorum ſerie: tu clarior illo
Ibis in exemplar, ſeclis venientibus olim
Admirande magis tantâ hac virtute, nec vlla
Vis fati poterit tam celſum extinguere nomen.
Sic vbi te ſeris dederit mea pagina ſeclis,
Clara peregrinas imitandaque facta per oras
Illa tua exponet, tali tum turba nepotum,

Te ſuper inde frequens, tandē ſermone profetur.
O ſecli flos ille tui, vernantia in ævum
Cui folia, haud vllas timuerunt grandinis iras,
Non Boreæ rabiem, non formidanda Tonantis
Fulmina, Terrigenûmve minas, nō frigida brumæ
Signa, nec ardentes quos Sirius evomit æſtus!
Flos horti nitor ipſe tui: flos cuius odorem
Ambroſium, cuius ſpumantes nectare ſuccos,
Cuius inexhauſtum primâ â radice ſaporem
Senſerat, extremas qui terrarum incolit oras:
Vive diu, ſemper vernos indute colores,
Idaliâ depicte manu, flos gloria florum
Vive diu, & noſtrum vt novit tua nomina ſeclum,
Secula cuncta tuas ſic diſcant dicere laudes.
Magne Heros noſtris maior cōceptibus, hæc ſunt,
Hæc ſunt illa olim quæ de te ſera nepotum
Turba feret: tales noſtrâ memorante Camœnâ
Proferet illa ſonos, & tu per ſecula vives
Omnia, vel certè virtus niſi nomen inane eſt,
Seq; perire ſinet, nec erunt ſua præmia factis
Heroum, & nullis cælum decorabitur aſtris.
O me mole novâ tum vectum in ſydera vatem,
Hos ego dum titulos, tantarum & pondera rerum,
Tam celſos virtutum apices, & culmina laudum,
Expediam meliore ſono! ſi Thracius Orpheus,

Tunc

Tunc mihi certaret, vel & ipſo iudice victum
Se ferat: haud verſus (fateor) gravitate, Chelyſve
Eloquio, (nam quis te Rex Iacobe ſonaret
Digna, licet citharæ nervos pulſaret Apollo?)
Sed gravitate rei: ſic nobis gloria lauri
Maior erit: niſi me vano deluſerit ore
Phœbus, erit nobis Heros laus altior vnus
Quàm cuncti Heroes, quos olim evexerat Argo
Threicio vati; quanvis ratis inclyta cœlo
Iam donata ſuo, rutilantes torqueat ignes.
Tu quoq; fulgentes radios mutatus in aſtrum
Membra ſuum, cœli per templa ardentia volves;
Et veluti audaces qui verrunt cœrula nautæ,
Nocte ſequi Cynoſura, tuam, quà vertere, caudam
Non dubitant: Iacobe tuum ſic luce refulgens,
Et ſublime caput toto ſimul orbe ſequetur
Poſtera progenies: alios ſic annus honores
Expoſcet, cupientq; novos tua nomina menſes.
Sic Iacobæus dicetur Iulius, & ſic
In nova perpetuæ ſurges præconia famæ,
Quæ quid ego demens mediter, quæ noſtra cupido (eſt,
Carminibus numerare meis?
Ergo ſat eſt voluiſſe: tibi ſi grata voluntas
Noſtra erit in tenui, de te Rex magne, movebo
Poſtmodo maius opus, ſi haud omnia dixero: ſalte

Plu-

Plura feram; maiora canam, graviore ſonabo
Pectine: ſive canam quoties Rex optime, regum,
Te non nequicquam fatorum immobilis ordo,
Divinâ moderante manu, tot caſibus actum,
Ereptumque malis noſtro ſervaverit orbi:
Sive quòd optatas properantem in luminis auras,
Et vel adhuc ſancto Naturæ in carcere clauſum,
Seditioſa cohors Satanæ, te immanibus auſis
Tentârit, cupiens inſontem extinguere vitam,
Quove Bothallæos ſuperâris Marte furores,
Teve vt non cautum demens invaſerit hoſtis
Gowrius, vtque impar tecum congreſſus, arenâ
Stratus, & vt iuſtas dederit tibi ſanguine, pœnas:
Vtq; etiam (res mira, novis memorandaq; faltis!)
Teq; tuoſq; omnes Satanæ maleſana propago
Pulvere ſulphureo conata eſt tollere fruſtrà,
Deniq; ſive canam ſub te modò Principe pacem
Florere, & molles veluti turrita capillos,
Te colat alma Themis, merito & perfũdat honore.
Atque ita conabor tanto me carmine tandem
Tollere humo, vulgiq; ſimul volitare per ora:
Qualis Idumæas qui dat tibi Mantua, palmas.
Sic ſi magne Heros, mihi te pro talibus auſis
Des Mæcenatem, noſces non deeſſe Maronem.

Canebat Maieſtat. veſt. hum. Servus,
I. D.

Horat. de arte Poetica.

Verùm vbi plura nitent in Carmine, non ego paucis
Offendor maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parùm cavit natura.

Quòd ſi in quibuſdam aliqua, quæ in alijs exemplaribus nulla, quia inter imprimendum, vt plurimùm, correcta, errata Typographica occurrant, præcipua hæc ſunt.

Pag. 16. Epig 54. lege diſpeream. p. 55. Ep. 85. Bathſua. p. 57. Ep. 92. fœlicitas, p. 63. Ep. 12. Quod. p. 84. Ep. 78. pateat. p. 97. linea 9. tales. pag. 111. Ep. 34. Maerinum. p. 136. Ep. 12. ſis. pag. 173. Ep. 28. Æs.

Persius, Satyra I.

QVis leget hæc? min' tu istud ais? nemo hercule; ne-
Vel duo, vel nemo, &c. *(mo!*

Ad Amicum Lectorem.

SVnt bona sunt quædam mediocria, sunt mala multa
Quæ legis: hic aliter non fit amice, liber.

Ad eundem.

[illegible] (ce[illegible]) commendes Carmina, curo:
[illegible] com[illegible]dent Carmina, dispereant.

EPIGRAMMATON, Centuria I.

I. Ad IACOBVM Regem.

REx animis, tituliſq; ingens, qui Pallada Marti
Iungis, & imperio ſubdis vtrumque tuo:
Hos tibi (ſi placeat) deuoti pectoris ignes
Excipe, ſinceri ſymbola ſeruitij;
Magnus Alexander *Samij teretiſmata cepit:*
Tu nec Alexandro *ſis mihi magne, minor.*

II. Ad ANNAM Reginam.

TAnta Annæ *eſt mentis, tanta eſt præſtãtia formæ:*
Vt dubium ex cœlo ſit ne, vel illa ſolo:
Quin Anna *ex Mannâ eſt at Manna eſt cœlitus: Ergo*
Annam *quis nobis cœlitus eſſe neget?*

III. Epitaphium HENRICI Principis Walliæ.

ORbis amor, terrorque simul, terraque Britannæ
Maxima spes, patriæ deliciumque suæ,
Henricus Wallûm *Princeps, decor additus astris,*
Inter Semideos iam requiescit anos.
Nempe illo in terris cùm regna haud digna videret,
Rerum olli æternus dat sua regna Deus.

IIII. Ad CAROLVM Principem.

IAm tandem nostro Pollux *discessit ab orbe,*
Atque nouo Henricus *scilicet, orbe nitet:*
At pro fratre tuo iam orbatis luce Britannis,
Qui lucem hanc referas Carole, Castor *eris.*

V. Ad FREDERICVM Principem Palatin. Rh.

SElectam Elector sibi quando elegit Elisam:
Verè Electoris nomine dignus erat.

VI. A

VI. Ad ELISHABETHAM eius Sponsam.

EL Deus est, ish vir, requiem Beth *deniq; donat:*
Hinc meritò Elisabeth *nobile nomen habet.*
Scilicet illa Deo est motore, & Principe primo,
Principis vna sui lausque, quiesque viri.

VII. Ad Lectorem.

HÆc Hilari mea frõte legas Epigrãmata Lector:
Est Momi *proprium triste supercilium.*

VIII. Ad *Luscum* Poetam.

VNo capte oculo vates mediocris, vtrumque
Excutias, Et sic alter Homerus eris.

IX. Ad Zoilum.

QVi versus lacerare meos te Zoile, *dicit,*
Fallitur; Hos vris Zoile, *non lacerás.*

X. Ad Artium liberalium Magistros.

Dicisse septem liberales plenius
Artes Magistri, vos metipsos dicitis:
Sic credo: vbi est tunc vestra liberalitas?

XI. De Hastiludio in festo regali fictio.

Hastifrago in stadio, magna spectante Coronâ,
Gressus alternos Mars *glomerabat ovans:*
Iuno *videt, dicitque: sed haec victoria nostra est,*
Et subitò in Martem *desuper atra ruit;*
Ille fugit, ridens & ait, me fœmina vicit:
Esto: sed non haec seria pugna fuit.

XII. Palinodia.

Iuno minabatur madidis descendere pennis,
Cùm subitò Martem *vidit, & extimuit.*

XIII. De Oratore & Poeta ad quendam.

ORator (verum est) ait insanire Poetam:
Nam furit hic stricto, liber at ille pede:
Horum quem fugias igitur mage? nonne Poetam?
Non: strictus poterit nil facere ille mali.
Imò oratorem fugias: demente soluto
Non peior demens scilicet esse solet.

XIIII. In medicum Empiricum.

EMpiricus nuper medicus de milite factus:
Quod miles fecit, iam facit & medicus.

XV. Ad IACOBVM Regem.

FOrtunis Rex magne meis prodesse, voluntas
Si tibi, tu poteris: nemo nocere potest.

Epitaph. Mariæ Scotorum reginæ.

GAllorum thalamo, Scotorum Maria natu
Regina, & regis filia, sponsa fu-

Phœnicem, Phœnix de me, tibi terra Britanna,
Suſcito, qui ſolus regnet in orbe ſuo:
Nec patriæ hunc inter prognatum, incendia, mirum eſt:
E flammis Phœnix ſurgere nempe ſolet.

XVII. Ad Cordum.

NOmine cor vnum, cor vnum in pectore geſtas:
Cùm duo corda tibi, nium bonus eſſe potes?

XVIII. De Epigrammate.

PErſimile eſt Epigramma cibo: namq; omnibus æqu
Hic nec in ore ſapit, hoc nec in aure ſonat.

XIX. Ad Liuidum.

DIcis quòd mala ſint quædã mihi carmina, ſic eſt:
Nam mala ſunt vbi, tu Liuide, nomen habes.

XX. A

XX. Ad nummi maiestatem, quam avari colunt.

Quæ mihi res tecum fallacis splendida nummi
Maiestas? aris an dabo vota tuis?
Dispereas potius: furerem qui sum mihi liber,
Seruorum seruo si tibi seruus ego.

XXI. De Pecunia.

CHremata me quondam meritò dixere Pelasgi,
His quia sæpe mei plurimus vsus erat:
Ergo cui clausâ semper conseruor in arcâ,
Immutet nomen, qnòd mihi, fio, nihil.

XXII. In hypocritam.

IVras cum nebulonibus malignis,
Et mens est tibi qualis est & illis;
Quid vis me rogo, te esse suspicari?
Sanctum credere te virum volebam:
Sed rumor sonat esse te scelestum.

XXIII. In Episcopum quendam avarum.

VT tu es Prælatus, cur non & Episcope, præfers
Sic alios? inquis, præfero diuitias.

XXIIII. Ad Maritum quendam.

NOn mirum est si dura tibi: si curva sit vxor:
Osse est ex curuo fœmina facta viro.

XXV. Ad Patricium Maldum Iacobo regi à Cubiculis, Int. &c.

Stemmatis antiqui soboles Malde *inclyte, ciuis,*
Aut melior quis te subditus alter erit?
Regis amans, patriæque tuæ, & popularis amicus:
Vnus es hoc, quod vix tres vel et esse solent.

XXVI. Ad Ponticum.

VEstem sæpe nouam quàm te delectat habere!
Non vestem: at vitam Pontice, sume nouam.

Ad

XXVII. Ad *Lancelotum Andræum* Epiſc. Elienſē.

LAncelotum *veteres veterem iactate Britanni,*
Arthuri veteris: bella, trophæa, decus:
Nos noſtri Arthuri noſtrum iactamus in aſtræ
Lancelotum: *ob regem pugnat uterque ſuum.*
Laus noſtri at maior: nam hic in cæleſtibus, ille
Victor in humanis, fabula, hic: ille, fides.

XXVIII. In Bellarminum.

CVr Bellarminum *te* Bellarmine, *vocemus?*
Nempe Mularminum rectius eſſe putem.

XXIX. *De exequijs niuoſo die.*

EſſE ſolent atri luctus: *hæc candida lux eſt;*
Lux hæc conueniens luctibus eſſe nequit.

XXX. Ad Cacozelum.

SEmper in ore tibi Deus eſt Cacozele: *ſed hoc eſt:*
Tantùm eſt, cùm iuras, ſemper in ore Deus.

XXXI. Ad Mulierem.

NVnc emere haud fas eſt, (eſt quadrageſima) carnes:
Quin Mulier mammas contegis ergo tuas?

De

XXXII. De Perſio.

Si ibi negârat Perſius *Satyrâ in ſuâ*
Fibram fuiſſe Corneam: haud negauerat
Eſſet ſibi quin corneum tamen caput.

XXXIII. Ad Martem.

Seu ſis Græcus Ares, *ſeu ſis Mars magne, Latinus,*
Littera terrores auferet vna tuos:
Prima etenim Latio, tibi dempta penultima Græco
Si fuerit: Sic ars tu mihi mitis eris.

XXXIIII. Ad Lodovicum Stuartum Lenoxiæ Ducem, &c.

Quàm benè ſuma Ducis ſumi tibi nomina dantur:
Nam tibi ſunt ſummo munera digna duce;
Enſem ſume, enſi cedat ſic Hectoris enſis,
Haſtam: ſic haſtæ Peliadæ haſta tuæ.
Mars ducibus dedit eſſe alijs: ſed Marte, ſed arte
Te natura dedit, Dux generoſe, ducem.

Ad

XXXV. Ad Adamum regium, aliàs *King*.

SAluſtî *nobis* Catilina *eſt notus ab ore* :
Gowrius *at nobis notus ab ore tuo eſt* ?
Quiſquis is eſt per quem noteſcit proditor; ille
Dignus vt æterno notus honore cluat.

XXXVI. Ad *Iohan. Ramiſeum Haddingtoniæ* Vicecomitem, &c.

FAre, age! quis Deus eſt regum qui temperat aſtrũ
Vir generoſe tibi? Rex an et eſſe potes ?
Non. Sed in auxilium ſaltem ſic naſcere regum,
Nempe bonus genius regis vt eſſe queas.

XXXVII. Aliud ad eundem.

AMbo gigantei non fauſto ſydere fratres,
Dum Britonum Alcidẽ non ſine fraude petunt:
Tu licet addis opem: minor eius gloria non eſt:
Nam contra Alcides ne vel et ipſe duos.

Pan

XXXVIII. Pauli Apostoli conuersio.

INsanus dum Saulus *eras, inimicus, iniquus:*
Littera mutetur, Paulus amicus eris.

XXXIX. De Aulo Causidico ad ipsum.

QVi nunc Aulus eras, vna addita littera Paulum
Te facit, & nomen mutat, inique, tuum.
Nomine sic facile es iustus: sed grammata centum
Naturam haud poterunt vertere versa tibi.
Quin alia & poterit superaddita littera, Saulum
Te facere: at talis nil licet addis, eris.

XL. In Lesbiam.

NOn adamantis habet, nec enim redamauit amantẽ
Lesbia, *sed duri cor Adamantis habet.*

XLI. In Brissonem.

NAtus erat Brisson *claro sub lumine Solis:*
Sic natum obscuro se negat esse loco.

A

XLII. Ad *Rober. Hayum Ia.* Regi à Purpurâ, &c.

SI ſit in humano veneranda modeſtia vultu:
Illa quidem vultus poſſidet Haye, *tuos:*
Nam nec apud regem eſt alter te humanior Hayo:
Hayus *& humanus ſunt tibi prorſus idem.*

XLIII. In Aunum Chymicum.

NOn nego quin aurum potabile feceris, aurum
Potâſti totum ſcilicet Aune, tuum:
Argentum ſic qui faciant potabile, quidam
Sunt modò: ſunt potant qui quoq; quic quid habent.

XLIII. Reſp. Ad Melvini Flumen apud Superos, &c.

CYmba quidem ſuperis nulla eſt: ſunt flumina verò:
Nam fluere hinc viva commemorantur aquæ:
Traijcere hæc ſed nemo poteſt: namq; illa vadoſa
Non *ſunt: tunc ponte & pontifice hîc opus eſt:*
Aſt apud Infernum cùm ſit ſua cymba Charonti,
Neve opus hîc ponte eſt, nec quoq; Pontifice.

Ali

XLV. Aliud.

CVr non & ſuperis etiam ſua flumina dantur,
Cœleſtes fluere hinc quando ferantur aquæ?
Flumina ſi fuerint, pontes tunc eſſe iuuabit,
Si pontes, ſancti ſunt quoque Pontifices.

XLVI Camera ſtellata Weſtminſterij.

SCire velim quare aſtrorum domus iſta vocetur,
Nonne quod Aſtræa ſint fora Iuſtitiæ?

XLVII. Camera ardens Pariſijs, Ad Gymnicum Cauſidic.

EſT domus hæc ardens nimiùm, & valde æſtuo dicis,
Quinigitur cauſas Gymnice, nudus agis?

XLVIII. Paradoxon, non rarum carum.

VIr bonus eſt rarus: tamen eſt nil vilius illo:
Virq; frequens malus eſt: charius hoc nihil eſt.

XLIX. In Causidicum quendam ciuilem.

Ciuilem vbiq; te vocas & prædicas
Causidicum: at omnes ciuitatis accolas
Mire lacessis: & necas iniurijs.
Sic nulla prorsus est tibi ciuilitas:
Causidicus ergo potius inciuilis es.

L. Ad CAROLVM Principem.

EXoptent alij pro carmine Principis aurum:
Auram non aurum Principis ipse peto.

LI. *Causaboni* Epitaph.

CAusabonum potuisse mori qui crederet, idem
Summa etiam credat Numina posse mori:
Numina posse mori nemo est qui credat: an vllus
Causabonum *credat tunc potuisse mori?*
Causabonus *vel numen erat, vel numine plenus:*
Vel numen Phœbi nomen inane fuit.

In

LII. In Vanum.

Si nihil in Vano est quod non monstrauerit extra:
Esse extra mentem monstrat & ipse suam.

LIII. Ad Gaurum.

Quòd prior ingrederis portã, quid Gaure, superbis?
Hoc facere & possit vel meus, ecce, canis.

LIIII. In Daucum.

Vt tu Dauce Deum: non te Deus improbe, fecit:
Te malus at Dæmon qui puto fecit, erat.

LV. Ad Ben. Ihonson,

Filius Hebræis Ben est: son filius Anglis:
Fily es ergo duo? quot tibi quæso patres?
Si scio, disperiam: Scio quòd sit magnus Apollo
Vnus de patribus magne Poeta, tuis.

A

LVI. De Amore, Ad Avarum.

OMnia vincit Amor: concedimus, omnia vincit,
Nummi si dicas, omnia vincit amor.

LVII. Ad IACOBVM Regem.

MEndicent alij quantum vix auriser Hebrus,
Et quantum rutili vix capit vnda Tagi:
Ipse mei regis tantùm mendico favorem:
Nam mihi si faveas Rex generose, sat est.

LVIII. Epitaph. ELISABETHAE Angliæ, &c. Reginæ.

ELisabetha hæc est illa, Angliæ gloria gentis,
Quâ vel & ipsa fuit Pentheſilæa minor:
Hanc ſolum Æacidæ potuit transfigere ſpiclum:
Non illi Æacidum ſpicula mille nocent:
Quid potuit tibi dicat Iber, tibi dicat Ierne:
Gallia amicitiam, Flandria dicat opem.

LIX. Ad ANNAM Reginam.

Quandoquidem ex Anna *est potiori in parte Britanna*
Esse nec absq; Annâ terra Britanna queat;
Non Brutus *fuerat, fuit* Anna *Britannia, nomen*
Quæ tibi dat: tantùm fabula Brutus *erat.*

LX. Ad obscurum Poetam.

Obscuris obscure, tuis requiesce libellis:
Nobilis ingenij nobile Carmen erit.

LXI. Ad Effrontem.

Sæpe fricare labor ne sit, sine fronte crearis,
Fronte; cui ingenuus debet inesse pudor.

LXII. Mundanus, vnda sum.

Quis sua nominibus cerni mysteria nescit?
Quisve neget vires ô anagramma, tuas?

Ille ego Mundanus, nil sum *nisi mobilis* vnda,
Quam semper varijs Sors premit atra notis:
Littera sed simplex duplicata, in voce redundat,
Mundano duplici scilicet esse licet.

LXIII. Ad Marianum.

SI Dixi Mariane, te Poetam,
Iratas mihi tunc precor Camœnas,
Iratum mihi sic precor Lycæum:
Iuro per laticesque, perq; laurus,
Et vatum quoq; iuro per furores;
Quod dixi tamen, ipse non negabis.
Hoc dixi Mariane, te esse potum.

LXIV. Ad Iuvenem quendam.

IPsâ equidem poteris sapientior esse Minervâ.
Sed faciem prorsus non sapientis habes.

LXV. Ad Navarchum ocreatum.

VNde Ocreatus ades? quorsũ hæc calcaria? nunquid
Vis Nauarche tuum pungere nauigium?

LXVI. De MARIA Scotorum Regina Prosopop.

VNam tres hostes me pervasere feroces : (tus:
Hinc atq; hinc Mars, Mors, vrget vtrinq; Me-
Maior at vna tribus : nam vici vt Maria Martem,
Sic Mortem, & vici cùm moritura, Metum.

LXVII. Epitaph. Moysis.

SPiritus in cœlo est : Abarim tenet ossa sepulti :
Angelus hunc Domini qui sepelivit, erat.

LXVIIII. De Persarum Regibus.

QVid mirum est cunctis reges non posse placere,
Quando nec cunctis vel placet ipse Deus ?
Sed nec Cimmeriæ tenebræ de Sole queruntur :
Nam licet haud videant, non minus ille vitet :
Rex regni Sol est : Soli sæpe occupat ora
Vt nebula, & nebulo sic quoq; regis habet.

LXIX. Aliter.

Ex regni Sol est. Nebula huic sæpe occupat ora:
Aurem sic regum sæpius & Nebulo.

LXX. Symposiarchæ extemporaneum, Ad astantem picam.

NVm tu Pica loquax nos hîc garrire docebis?
Namque ad garritus Bacchica cuppa sat est.

LXXI. Ad Zoilum.

QVàm malè me laudes, malim me Zoile, ladas:
Aut lade, aut lauda, res erit vna mihi.

LXXII. Ad Marcum.

SÆpe tibi dederam: nil vnquam Marce, dedisti
Tu mihi: Si semper sic facis: ergo vale.

LXXIII. Ad Gwalterum Guyneum.

SEu Regum historias, rerum seu tempora nôsti:
Sive Anagramma facis, sive Epigramma facis:
Sic ipsum æquiparas Phœbum, vt Grynæus Apollo
Sit dubium, an dici Guyneus ille velit.

LXIIII. Ad Maritum quendam.

NOn facunda tibi, sed quæ sit vt vsq; secunda,
Sic fœcunda tibi fœmina iunctа cubet.

LXXV. Ad Callioniram.

FErrea tu quanvis, & amans adamantinus esset:
Ast Adamas ferrum Callionira trahet.

LXXVI. Ad Marculum.

MArcule, nil volo des: vt des mihi Marcule, nolo:
Nam nil si quis habet, quomodo quæso, dabit?

Ius

LXXVII. IVS noſtri ſeculi VIS. Ad quendam.

QVod ſi IVS noſtri cupias cognoſcere ſecli,
In medio I (mirum!) ponito, VIS & erit.

LXXVIII. In Medicum indoctum.

AEgrum dum non vis naturâ operante, necari:
Illum Dogmaticus tu, tamen arte necas.

LXXIX. Ad Iacobum Bajarum & Fontium Epiſcop. &c.

QVod ſi forte ſuis poterit locus addere laudes
Laudibus, aut meritis nomina digna tuis:
Baiarum magne Antiſtes, tibi gloria duplex
De te, deq; tuo ſurgit in aſtra loco.
Nullus in orbe locus Baijs prælucet amœnis:
Dignior eſt nemo te meliore loco.

LXXX. Triumviri reipub. Myſtes Medicus, Nomiſta.

Myſtæ animi curant, Medici mala corporis arcent,
Succurris ſortis tuq; Nomiſta; malis.

LXXXI. Ad Ioannem Areskinum Marriæ Comitem.

Quæ tibi Nobilitas vera eſt, quæ vivida virtus,
(Quod rarum) & meritis conſona fama ſuis.
Te Generoſe, fores natus niſi ſtirpe vetuſta,
Efficerent fieres ſtirpis origo novæ.

LXXXII. Ad Læam.

OS alijs præbes, alijs ad baſia dextram?
Dicis utrum mavis? eligo Læa, manum.

LXXXIII. Ad Marinum.

CVr nil æſtimo te Marine? Bubo es.
Cur nil æſtimo te Marine? nequam es.

Cu

Cur nil æstimo te Marine? Lurco es.
Quin te qui æstimat est Marine, stultus.

LXXXIIII. Ad Ostentatorem.

VNa est sæpe tuo tantùm sententia in ore,
Sive illam ex Plauto, seu Cicerone citas.

LXXXV. In Glaucum.

GLauce, nihil scribis, nil scribis Glauce, fatemur,
Scribat enim si quis scribere Glauce, potest.

LXXXVI. In Pontinianum.

POntinianus habet Decimas, quis nescit? opimas:
Bulgam sed vacuam Pontinianus habet.

LXXXVII. In Barcleum.

CÙm Scoti pars vna tui est, pars altera Galli,
Huius quam partem, quam minus eius habes?

In Scotos crocitas, extollis in æthera Gallos:
Scoti haud Cor: Galli Barclee, Crista tibi est.

LXXXVIII. Ad verum amicum.

ANte focos fluctus foveant, & flumina flamma
Quàm tuus à nostro corde recedat amor.

LXXXIX. Ad Iacobum Dom. Hayum, Baron. à Saly, I. Regi à Sacratiori Purpurâ, &c.

PIerio celebrate choro, cui pectora Pallas,
Cui vultum Charites, verbaq; Suada dedit:
Quis regum flos nomen habet, si forte requiris:
Aiacis nomen flos Hyacinthus habet:
Ast Hyacinthus habet venerandum nomen ab Hayo:
Hay es ubi regum nomina nata putem.

XC. Aliud de eodem.

NOmina cùm regum celso inveniantur in Hayo:
Hinc populi regum discite notitiam.

Ad

XCI. Ad Daucum, in doctores indoctos.

Est doctor quicunq; docet: quicunq; docetur:
At non sic sequitur quòd quoq; doctus hic est:
Hinc fit Doctores cùm tot cernantur vbiq;,
Pauci sint docti: Credito Dauce, tibi.

XCII. De Seipso.

Nil ego Doctoris titulos, aut nomina curo:
Sit Doctor qui vult, sim modò doctus ego.

XCIII. Ad Philomusum.

Cùm bis sex denos numeres Philomuse, Decembris
Es tu priscus homo: quando peritus eris?

XCIIII. In Læam.

Personæ sunt Læa duæ tibi, scilicet vna est
Cerussata tibi, serica & vna tibi.

Deque

Deme hanc: es mulier vel imago, aut fœmina fucus;
Tolle illam, Larva es Laa, vel hoc, nihil es.

XCV. In Hypocritam.

Cùm sint verba tibi simulent quæ dulcia mella,
Cur tantum in factis improbe, fellis habes?

XCVI. De fœlicitate.

Virtutis ad fanum ire quondam nemini
Romæ vt licebat: nisi per ædem, vt nuncupant,
Laboris: ad fœlicitatem progredi
Sic nemo quisquam quin eat per fel, *potest.*

XCVII. In Lectorem sacrorum Bibliorum.

Non pius est, tantùm qui Biblia sæpe relegit:
Sed pius, in praxin quando redegit, erit.

De

XCVVIII. De Calvino & Melvino ad Lectorem.

Calvinus melior Melvino sit ne, vel ille
Illo sit melior, fors dubitare potes:
Ambo dant vinum, quo non praestantius ullum
Cordi est, hic mel *dat*, lac *dat & ille suum:*
Ambo valent: verùm mel lacte *est dulcius: atqui*
Si vinum *his iungas optima* mulsa *dabunt.*

XCIX. In Lesbiam.

Nescio si simplex animi sis Lesbia: novi
Quòd facie duplex Lesbia, sit Meretrix.

C. De Papis.

Si Papæ à Poppis sint dicti, Carduus *iste*
Qui hos Poppos dederit, num benedictus *erit?*

Finis Centuriæ primæ.

EPIGRAMMATON
Centuria II.

I. Ad IACOBVM Regem.

ACcipiant alij Decimas: ſed magne Monarcha
Primitias Muſæ, te rogo, ſume meæ.

II. Ad Georg. Villars. equitem *Iacobo* Regi à Cubiculis Int. & Magiſt. Equit.

CVi non Rura *placent, cui non & regia* Ruris
Villa *etiam, cui non* Ars *quoq; docta placet?*
Scilicet, & Villas habitant, & Rura Camœnæ:
Vrbibus in magnis Ars *veneranda viget:*
Si tunc Villa *placet, ſiq;* Ars *placet omnibus, ergo*
Omnibus & Villars *totus vbiq; placet.*

Aliu

III. Aliud ad eundem.

MArtis Villa *deos cœli comprênderat olim*:
Artis *terreſtrem ſed modò* Villa, *Deum*.

IIII. Epitaph. Ioannis Graemi Equitis, &c.

QVi Graemus gramenve *meo quandoq;* Georg'o
In quo quàm placidè ſæpe quievit, eram:
Vere meo, & verno, quo tempore cuncta vireſcunt,
Areſco autumnum, cur miſer, ante meum?
Hunc multa in Villa Ars *tentata auertere caſum*
Haud potuit. Sic (*heu!*) *lilia prima cadunt.*

V. De Georgij Buchanani Hiſtoria Scotiæ.

HÆc quòd in *Hiſtoria ſint ficta, & plurima falſa,*
Non mirum eſt: ſummus Scriba Poeta fuit.

Ad

VI. Ad Cordum.

INdoctum me Corde, vocas: concedo; sed audi;
Socrate quid si sim doctior? hoc ne sat est?
Ille vnum hoc scivit, quòd se nil scire sciebat:
Bina ego, nam novi te quoq; scire nihil.

VII. Epitaph. Infantis.

INfantem natum transfodit Parca, dieq;
Qui fuit introitus, hic fuit interitus.

VIII. In Maurum Grammaticum coniugalem.

OLim operam libris tantùm, dare Maure, soleba
Operam modò das liberis.

IX. De Epigrammate.

PRæcipuè hoc Epigramma valet quod Distichō aiun
Pancis sub verbis si modò multa velis.

Qui

Quod sequitur, sibi iure locum Tetrastichon optat:
Si fusè mentem vis aperire tuam:
Postremum verò est Epigramma Exhastichon: illum
Si numerum excedis, non Epigramma facis.

X. Ad ANNAM Reginam.

MEnsis vt à Maiâ est quẽ mos est dicere Maium,
Cur non ex Annâ *sic quoq; et* annus *erit.*
Quòd si magnus honos, imponere nomina mensi:
Toti anno *nomen ponere, quantus honos?*

XI. Ad ELISABETHAM eiusdem filiam.

ELisabetha prior nisi te Regina, fuisset:
Tu prima in terris Elisabetha fores.

XII. Epithalamium eiusdem & FREDERICI Principis Palatini Rhen. &c.

ELecto Elisabetha suo lectissima nupsit:
Sanctus sancta thori vinclà secundet Hymen.

Æternùm violis ſpargant Connubia Nymphæ:
Dent Charites calathos, det Cytherea roſas:
Ambo fœlices, ſeros videant q̃, nepotes:
Sic vigeant, valeant, ſemper amare velint.

XIII. Epitaph. MARIAE Scotorum Reginæ.

POſtquam tanta mei vidiſſem incendia regni,
Ut vix Herculeâ quæ ſuperanda manu:
Diſceſſi: ne morte ipſâ, peiora viderem:
Nec vicit mentem mors vel & ipſa, meam.

XIIII. Aliud eiuſdem.

VT vici ſortem, vici ſic Maria, *mortem:*
Sors mihi mente minor: mors mihi mente minor.

XV. In Danicum Cauſidicum.

CÙm plures facias quàm dicis Danice, lites:
Non te Cauſidicum: ſed voco Cauſificum.

A

XVI. Ad Carolum Fitzgeofridum.

Fitzgeofride, ſacri potor placidiſſime, rivi,
Lactea cui liquido pectore vena fluit:
Si tua Muſa mori, poterit ſi fama perire,
Eſſe poteſt lepidis vrna parata ioçis.

XVII. In Sacrificulos, Ad Corbulum.

CVr non Pontifices *vt ſunt qui Corbule,* Pontes?
Qui faciunt Carnes, *ſunt quoq;* Carnifices?

XVIII. In Pontifices eiuſdem farinæ.

POrtentum facitis, ſiquando ex pane *ſacrato,*
Non vos Pontifices, *ſed voco* Panifices.

XIX. In Mathonem.

QVid de te Matho, ſuſpicentur omnes,
Et quâ parte velint modeſtiorem,

Certis indicijs satis probarunt,
Tutorem tibi qui dedere, quo nil
Aut prudentius est, modestiusve.

XX. In Eundem.

ME frustra in nugis annos absumere dicis,
Praestat at in nugis quàm, Matho, nequitiâ.

XXI. Ad Nævolum.

CVr quid agam semper? quid agam, cur Nævole, quæris?
Estne aliud quod agas, quærere quàm, quid agã?

XXII. Ad Patrem suum Gavinum.

CHare pater, venerande senex, cui suaviter ævi
Octogena, Deo iam duce, transit hyems:
Hoc breve sub nostro vivat tibi nomine carmen,
Vt Signum affectus officijq; seges.

XXIII. Ad Naulicum.

DVm numeras asinos, numerando Naulice, peccas:
Ipsum debebas te numerasse simul.

XXIIII. In Lucretiam.

QVid te sæva, manum proprio fœdare cruore
Iuvit, & immeritò sic voluisse mori?
Non aliter potuit reparari iniuria famæ,
Neve pudicitiæ damna inhonesta tuæ:
Hoc ne ais? Ergo tibi fueras malè conscia culpæ.
Si rea non fueras, cur scelerata, ruis?

XXV. Extemporaneum de Viatore.

MAgnus homo est: sed parvus homo, si munera mētis
Respicias: hominis nil nisi corpus habet.

XXVI. Lipsius moriens.

Lipsius vt moritur, secum & dum corde volutat,
Quæ Signo Mariæ commoda dona daret:
Dat crassam pro thure togam: miracula vidit
Iam frigere suæ scilicet ille, Deæ.

XXVII. Ad IACOBVM Regem.

Non satis est Rex celse, tibi quòd cedat Apollo,
Nam cedit Sophiæ Pallas & ipsa tuæ.

XXVIII. Ad Gulielmum Herbertum Penbrochæ Comitem, & Aulæ Regiæ Camerarium, &c.

Magne Heros, res mira, meis si intexere Chartis
Te vellem, & laudes non memorare tuas!
Sed neq; quæ tibi mens, moresq; in pectore supra
Et genius, & sortem tam breviter referam.
Maius opus quærunt: hoc te iam claudere carmen,
Annulus vt parvus magnum adamanta, sat est.

A

XXIX. Ad Lectorem.

PErlegis : aſt ægrè : metra ægrius at mala laudas :
Ne laudes : latâ me, rogo, fronte legas.

XXX. In Cottam.

COtta velis bibere, at non eſt tibi Cotta, crumena :
Imò nec nummos, quod benè peius, habes.

XXXI. In Cacozelum.

DOctrinam in docto quæris Cacozele, miniſtro :
Deſine doctrinam quærere ? quære Deum.

XXXII. De Academia Oxonienſi.

NEc ſua prima ſuis Academia, neve Lyceum
Sit Peripatetis gloria prima, ſuis :
Secta nec ipſa ſuam miretur ſtoica, Stoam,
Tullius aut propriam iactet in aſtra domum ;

Oxoniæ cedant prisca & nova cuncta Camœnis;
Pro cunctis tantæ laus eat una Scholæ.

XXXIII. Qualem sibi velit Amicum.

HVnc volo qui facilis, qui sit mihi fidus, & omni
Fastu qui careat, qui sit vt alter ego:
At qui me laudat coram, & post terga lacessit:
Possideant huius perfida corda, canes.

XXXIIII. De fœmina quadam.

Fœmina, dicebam, curru portatur in isto,
Respexi propius: comperi & esse fimum.

XXXV. Ad dignos Equites.

QVi manibus Martem, Musas & mentibus æquat:
Ex æquo hos Equites dicere, nemo negat.

Ad

XXXVI. Ad Equitum nomine indignos.

VOs Equites, quêis nec virtus mavortia, neve
Gloria Musarum nomina tanta dedit:
Sed quêis divitiæ titulos auxere superbos,
Esse ego vos Equites æstimo: vulgus equos.

XXXVII. Paradox. Virtus sola nobilitat.

QVicunq; vis divitiæ vt antiquæ genus
Illustre reddant, falleris: verè facit
Antiqua virtus sola & vna, nobiles.

XXXVIII. Ad Cerdum de Creditore suo.

ACcipe cùm tibi dat, brevis est occasio lucri:
Captus si fuerit, nil tibi Cerde, dabit.

XXXIX. De Morte.

SI Sopor est Mortis soror, vt finxere Poetæ:
Cur tumulus thalami non quoq; frater, erit?

Ad

XL. Ad Thomam Bilsonum Episcopum Vintonienſem.

CAſtalidum commune decus, digniſſime præſul
Bilſoni, æternis commemorande modis:
Quàm validè adverſus Chriſti imperterritus, hoſtes
Bella geras, libri ſunt mouumenta tui:
His, Hydræ Fidei quotquot Capita alta reſurgunt,
Tu novus Alcides, tot reſecare ſoles.

XLI. In Catum.

OMnes quos habuit Catus, decepit amicos:
Decipier qui vult, huius amicus erit.

XLII. Ad Momum quendam.

IN nocuos permitte iocos, cur ludere nobis
Non liceat: liceat ladere quando tibi?

XLIII. In Mendacem.

NOn opus eſt quæras quare tibi credere nolim:
Credere vix ipſi tu potes ipſe, tibi.

LXIIII. In Mercatorem.

NVlli ſe dicit Mercator *vendere malle*
Quàm mihi, non quanvis Rex vel & ipſe foret:
Dicit Mercator: *ſed quicquid dicit ementi,*
Credimus, vt Ditem credimus eſſe Deum.

XLV. In Coniuges.

COr animumq; ſuum tua te vocat vxor, & ipſa
Eſt tibi cor animi: vivitis ergo pares.

LXVI. In Curionem quendam.

CVrio conatur Pymplæum aſcendere montem,
Præcipitem Aoniæ deiciunt q; deæ:

Ille autem: at montem nequeo ſi ſcandere veſtrum:
Me Veneris montem ſcandere poſſe, putem.

XLVII. In Cottam.

TAxaret ne Cotta malos, taxaverat omnes:
Cui bonus eſt nemo, quis malus eſſe poteſt?

XLVIII. In Aulum.

AVle, mihi debes aſſem: nil debeo, iuras:
Ne iures: aſſem perdere malo, meum.

XLIX. In Gaurum.

NOn eſt Gaure, ſatis quòd es ſuperbus:
Et dici cupis, & cupis videri.

L. Ad CAROLVM Principem.

SPes patris, patriæq; tuæ, celſiſſime Princeps,
Carole, Caſtalij lux rediviva chori:

Creſce

Crescе novum semper populo solamen, & alter
Carolus vt magnus: sic Charilaus eris.

LII. Ad Tho. Egertonum, Dom. ab Ellesmere, magnum Angliæ Cancellarium, &c.

AEternis famæ titulis, & fascibus ingens,
Digne inter summos vt numerere Deos:
Quin se iam Thamesis Cephissi nomine dicat:
Miretur q; suas nobilis amnis, aquas:
Antrum si non est: tamen est hîc Aula Themistis:
Si non ipsa Themis: os tamen eius ades.

LI. De Eodem.

SIc Thomas Themidis callet doctissimus, artes:
Vt nunc sit Thomas, quæ fuit antè, Themis.

LIII. Ad Gulielmum Carum, Ia. Regi à Cubic. inter. &c.

SEu saltu certes, curvæ aut testudinis ictu,
Sive pilâ, aut motu liberiore pedum,

Ec-

Ecquis Care, tibi similis? Si Pythia in vsu:
Vix ipse ingenio certet Apollo, tuo.

LIIII. Ad Lectorem Narcissum.

LEctori concedo, places Narcisse, sed hoc est,
Tu quando libri Lector es ipse, tui.

LV In Cerdum Mercatorem.

CErde, tuum in nostris nomen cupis esse libellis:
Nolo meum libris nomen inesse, tuis.

LVI. Ad Amatorem.

QVisquis amas, te scire velim quòd fœmina tanti
Vmbra, & Imago viri sit nisi, Sol sit amor:
Vmbra recedentem sequitur, fugit illa sequentem:
Ergo sequi vt possit te tibi chara, fuge.

Alit

LVII. Aliud ad eundem.

SOl amor eſt, mulier q3 viri levis vmbra: ſequetur
Vmbram quis, demens ſit niſi forte, ſuam?

LVIII. In Avarum.

CArmine dij ſuperi, flectuntur carmine Manes:
Carmine ſed nullo flexa crumena tibi eſt.

LIX. Filius natu maximus.

ES dives non Marte tuo: ſed munere patris:
Nam genuit fratres te pater, ante tuos.

LX. Ad Mathæum Sutlivium, Doct. V. I. & Exoniæ Decanum, &c.

BYzantium iactet ſuum Chryſoſtomum,
Sonet Beryllum Boſ ia:
Plaudat q3 Phœnici ſuo vni Cappodox,

Et

Et Creta gaudeat Tito,
Polycarpum amet Smyrna: at suum Sutlivium
Nunquam silebit Anglia.

LXI. Ad eundem.

Cùm tibi cor purum, gravitas venerabilis, & vox
Mellea, mens hilaris, doctaque grata manus:
Qui cupit officium perfecti edi'cere Mysta,
Te sibi proponat: quod cupit, illud habet.

LXII. In Taratallam.

Cvr tam promissos nutrit Taratalla capillos?
Nonne est vt longas contegat auriculas?

LXIII. Ad Cordolum.

Qvi dignos laudare viros te Cordole, credit,
Decipitur: laudas namq; tui similes.

LXIIII. Ad Ioan. Graemum Montrosiæ Comitem, &c.

Quòd si Graeme, foret solâ de stirpe vetustâ
Laus, essent pauci sic tibi laude pares:
Nam Britones inter Graemis antiquior vna
Gens nulla, historicis si modò danda fides:
Quin tua te virtus, & non tua sola vetustas
Commendat: virtus te facit vna virum.

LXV. In Scaurum.

Irasci nostris non debes Scaure, Camœnis:
Non te sed fastum Scaure, reprêndo tuum.

LXVI. In Hospitem.

Cùm maria & terras omnes lustraveris, hospes:
Restat vt aut orcum iam, videasve Polum.

LXVII. Ad D. Chaplierum Theol. Rupell.

Maxima cùm magni sit Rhetoris actio, virtus:
Rhetora te magnum nemo negare potest:
Cùm sit at in verbis divini et gratia mellis:
Maiorem magno te Chapliere, puto.

LXVIII. Ad Maritum quendam claudum.

Vxor cœca tua est; & tu pede claudus vtroq́;
Illi des oculos, & dabit illa pedes.

LXIX. In Cordum.

Cordolus es potius quàm Cordus, Corde, vocandu
Namq́; parum veri Cordole, cordis habes.

LXX. Aliud in eundem.

Esse ducem in Phœbi castris te Cordole, iactas:
Et tamen, vt video, valde pusillus homo es.

Ne

Nempe duces metuenda viri, per caſtra ſecuntur:
Tu ſequeris pueros per loca tuta tuos.

LXXI. In Marculum.

Marcule, cur mulam pungis? ſat nata videtur
Officioſa, ſuum cùm vehit ipſa patrem.

LXXII. Quòd moriendum.

Scilicet vt primùm putreſcere ſemina cernis,
Quæ iacta Agricolæ ſeduliore manu;
Mox vitam capere, & prodire in luminis oras,
Et ſeſe variis multiplicare modis:
Sic etiam Chriſti quiſquis ſit ſemen in agro,
Debet, vt vberius ſurgat, & ille mori.

LXXIII. In Candidum Cauſidicum Communem.

Cauſidicus tantùm communis diceris: ergo
Es non civilis Candide, Cauſidicus.

XXX. In Milonem.

INter laſcivas latitavit Milo puellas,
Et benè qui latuit: hic benè vixit, ait.

LXXV. Ad D. Balfourum Philoſoph. & Academ. Guyanæ Protogymnaſt. Burdigalæ.

ILla tua haud citius Balfoure, problemata vidi,
Illa ego quàm dixi, ſcripſit Ariſtoteles:
Iudicet hic aliquis cùm legi, cumq; relegi,
Quumq; intellexi, quod mihi iudicium?
Maior Ariſtotele eſt qui ſcripſerat illa: vel impar
Si fuerit, certè non fuit ille minor.

LXXVI. Ad Milvium.

QVicquid ego facio, nihil eſt, ais, invide Milvi:
Ergo nihil facio, cùm tibi frango caput.

LXXVII. In Glaucam

Cùm Glauca ſit picta, ac proinde imago ſit:
Imago nec loquatur, illa ſi prudens,
Sileat: nam imago, ſi loquatur, eſt monſtrum.

LXXVIII. Ad Aleatorem.

SI meminiſſe rant tantùm tibi quatuor aſſes:
Perdidit vna duos alea, & vna duos:
Ludere iam toto poteris ſecurior ævo:
Nam plus vt perdas alea nulla poteſt.

LXXIX. Ad Pontilianum.

VNde tibi ingenium debes tu quærere, quæris?
Non potes ex cerebro, Pontiliane, tuo.

LXXX. Ad futurum Poetam.

NVnquam tu poteris, ſi abſtemius, eſſe Poeta:
Sed bene ſi potes, eſſe Poeta potes.

LXXXI. De Diogene,& Dionyſio.

HOc eſt Diogeni ſimilis Dionyſius vno:
Mobile nimirum eſt dolium vtriq́, domus.

LXXXII. In Gulielmum Cottonem, Exoniæ Epiſcop.

QVæ gravitas,& quæ conſtantia Præſule digna,
Quæ rerum multa eſt cognitioq́ tibi:
Te non Cottonem tantùm: ſed & eſſe Catonem
Te faciunt ſecli vir venerande,tui.

LXXXIII. In Aulum.

DEvorat & comedit multum, ſed lumine caſſus:
Plus ergo,vt res eſt,quàm videt,Aulus edit.

LXXXIIII. In Glaucam.

ILla tua haud facies eſt quâ tu Glauca,ſuperbis:
Pictoris facies ſcilicet illa,tui eſt.

A

LXXXV. Ad Beſchebam Reginoldam.

CArminibus Beſcheba, tuis vix certet Apollo:
Ipſa tamen ſi vis, te ſuperare potes.

LXXXVI. Ad Invidioſum, qui Iuvenes imberbes indoctos putat.

CVr Iuvenes queîs barba datur vix longior ipſis
Dentibus, indoctos Invidioſe, vocas?
Quin tibi barbato eſt in crine ſcientia, & extra:
Scire ſuum Iuvenes in cute, & intus habent.

LXXXVII. In Cauſidicum quendam loquaculum.

QVid mihi dira Fori memoras convicia, lites,
Iurgiaq́, & rixas, & ſine mente minas?
Quid tumidas buccas, quid picta fulmina linguæ?
Illincne vt mirer nomina Cauſidici?
Hâc ſi Cauſidicus nomen ratione meretur,
Cur etiam non ſe garrula iactet anus?

LXXXVIII. Ad Zoilum.

Quanto corde meos tu pendis Zoile, versus:
Tantâ pendentem de cruce te videam.

LXXXIX. De Aceto.

Dat gustus, reficitq; animos languentis, acetum,
Nec melior subitis est medicina malis:
At vos Naiades fontes iam claudite: posthac
Præter aceto sum nil mea Musa bibet.

XC. Ad IACOBVM Regem.

Heroum sanguis, sex centûm splendor avorum,
Alcide & titulis maior habende tuis:
Scilicet huic quondam quos clava adiunxit honores:
Hos auxit calamus Rex Iacobe, tibi.

XCI. Ad ELISABETHAM eius Filiam.

O Ter fœlicis, ter fœlix filia regis,
Et patris, & patriæ filia sola tuæ!
Ecquæ fœmineo est generi perfectio, quæ non
In te nil suprà quò moveatur, habet?
Forma manum artificis superat: sapientia formam,
Hanc virtus: nil hanc quod superet, superest.

XCII. Ad glorioſum divitem.

Fœlicitate qui nimis turges tuâ,
Tibi caveto, ſi ſapis, ſis & memor
Quòd primus ad fœlicitatem *omnem gradus*
Sit Fel, *nec abſq; felle ſit* fœlicitus.

XCIII. De orbe terrarum.

Mirandum non eſt quòd recti nil ſit in orbe,
Orbis in obliquum quando retortus, eat.

In

XCIIII. In ignarum quendam Sacerdotem.

OMnes cùm capias Decimas ignare Sacerdos,
Cur non & Decimas accipis ingenij.

XCV. Ad Daucum.

NIl tu Dauce, doces: tamen & vis Doctor haberi:
Quicquid vis esto, dummodo nil doceas.

XCVI. Ad Thomam Areskinum Nobiliss. Ord. Perisscelidis Equitem, & Fentoniæ Vicecomitem, &c.

CVm Perthi Antæo dum forte Britannicus Heros
Luctatur, fidam fers properanter opem,
Non quòd non solus fatale evincere monstrum
Posset, at haud sacras ne violare, manus.
Hæc sed summa tibi laus est: Iove natus & alter,
Perithoum pugnæ te iubet esse suæ.

XCVII. Ad eundem de gente Areskinâ.

NOmen Areskinæ eſt vnde hoc tam nobile genti?
An quòd Ares *olli Martia corda* Kinei*?*

XCVIII. Reſponſio ad quendam.

SI quoniam omne bonũ eſt tranſcendens omnia: rectè
Colligis hinc nullus quòd ſit in orbe bonus:
Quin quoq; & omne malũ cùm ſic tranſcendat, & inde
Concludam nullus quòd ſit in orbe malus.

XCIX. Ad amicum Compotorem.

QVando ſalutiferâ toties mihi voce propinas:
Hinc fiat caveas, ne tibi nulla ſalus.

C. In Glaucam.

ESt tunica, & collare viri, & tibi Glauca galerus:
Sume tibi braccas, vir, niſi fallor, eris.

Finis Centuriæ ſecundæ.

EPIGRAMMATON Centuria III.

I. Ad IACOBVM Regem.

FOrtius orabam nuper Rex magne, Camœnas,
Vt te digna darent Carmina pauca, mihi:
At se posse negant: ipsum tunc invoco Phœbum
Vt daret, & Phœbus nec minus ipse, negat.
Cur negat? an nescit? certè. Quis noverit ergo?
Te dare tu solus Carmina digna, potes.

II. Elisabethæ Reginæ Angliæ, &c. Ep.

PErpetua Elisabetha fui, & rarissima virgo:
Sic etiam & virgo Pentheſilea fuit.

Illa ego ſed maior: ſolis nam præfuit illa
Virgo, virginibus: quin ego Virgo, viris.

III. Ad Vrbium Magiſtratus.

Qui vultis veſtras defendere fortiter vrbes,
Sint vobis mores mœnia, valla, viri.

IIII. Paradoxon: quòd Græcia non ſit Mendax.

Non verum in vino eſt, aut non eſt Græcia mendax:
Aut pergræcari tu benè Græce, nequis.

V. Ad CAROLVM Principem.

Tanta tibi eſt pietas, probitaſq; & gratia vocis,
Vt mirer fieri te potuiſſe, virum.

Ad

VI. Ad Georgium Abbotium Cantuariæ Archiepiscop. Angliæ Primatem, &c.

Supreme Anglorum Præsul, cui præside Christo,
Cinxit honorandas gratia celsa comas.
Quo te principio laudem? quo fine tacebo?
Quid prius, aut quid post? quid mediumq; canam?
Nescio: sed si vis vnum hoc me dicere; nullus
Dignum te tanto non ait, esse loco.

VII. Aliud ad Eundem.

Quæ vel & in minimo iam virtùs rara ministro:
Nimirum, ad populum conscio crebra suum:
Illa frequens inter tibi, publica commoda regni est:
Consulis hinc, regi: consulis inde, gregi.

VIII. Error Grammaticorum.

Est vnus tantùm nisi Sol, nisi Mundus & vnus:
Soles & Mundos Grammatica ster, ais?

IX. Ad Maurum.

NOn ego te laudo, non poſſum dicere quare?
Non ego te laudo, dicere Maure, queo.

X. Ad Fuſculum.

Fœlicem fieri credis me Fuſcule, cœnâ,
Fœlicem cœna Fuſcule, deinde tuâ:
Quin fame at ille mori poterit, miſereq́ perire,
Quem tua fœlicem Fuſcule, cœna facit.

XI. Ad IACOBVM Regem.

LAus tua ad occaſum, tua laus penetravit ad ortum:
Extremis Boreis cognita, nota Notis.
Nec mirum eſt toto quòd ſpargitur orbe, teneri
Non potis eſt vno gloria tanta loco.

XII. In Superbum quendam.

DVod nunquam ſocios tuos ſalutes,
Humanè facis: haud facis ſuperbè.

Ad

XIII. Ad Gwalterum Aſhton Equitem, Icobo Regi, à Privat. Cubiculis, &c.

SI facie ignotus, non es tamen inclyte, factis:
Sat faciunt notum te tua facta, mihi:
Dignum laude virum nequeunt non nôſſe Camœnæ
Non poſſum laudes non quoq; nôſſe, tuas:
Es pius, & prudens, doctuſq;, & largus amicis:
Vnde ſciam, petis, hoc? vndiq; rumor ait.

XIIII. In Nævolum.

HÆredem tantùm ſcripſit me Nævolus, illi
Quòd Medicus dixit, non moriturus, erat.

XV. Ad Aulum.

AVle, tibi menſa eſt dapibus benè ſemper operta:
Malim ego ſed doctis vt ſit aperta viris.

XVI. Ad Davidem fratrem.

MAxime natorum patris, neq; maxime tantùm:
Sed meritò primum qui mereare locum;
Quod natura tibi dederat, tibi sume, licebit;
Quòd dederat virtus & tibi, sume, licet.
Seu virtus, seu te primum Natura locârit:
Non minor at nobis inde redundat honos.

XVII. In Vanum.

VAne, vides tollam si te veniente, galerum;
Si libem dextræ promptus, & oscula meæ;
Expectas donec tantâ te voce salutem,
Audiat vt nostros turba remota, sonos:
Proh pudor! elatum si sic te digner asellum,
Quid facerem mula pretereunte tuo?

XVIII. Aliud ad eundem.

VAne, cupis semper muro vt sis proximus: esto;
Sic etiam merdis proximus esse potes.

XIX. Ad Nævolum.

Nævole, sic clausum est pleno tibi pectus honesto:
Illius vt quicquam nemo videre queat.

XX. Ad Ioannem Davisium à Heireforde.

Si suus haud Anglis Daniel Maro desit, & Anglis
Nec Martialis deest suus Davisius.
Quin dubiam certat Danieli linquere laurum
Sylvester: at Davisi habes nullum æmulum.

XXI. In Philargum.

Cur nummos tantùm fertur coluisse Philargus?
Hic, Numen nūmum credidit esse suum.

XXII. Ad Rhetorem.

Exiguo si forte pedi sit calceus ingens,
Nemo sutorem non ferat esse rudem:

Tu quires minimas lato tegis vndiq; panno,
Dic mihi tum qualis Rhetor, habendus eris?

XXIII. In nimium antiquitatis studiosum.

Hic antiqua sapit: sola hic antiqua revolvit:
Sed quæ nunc fiunt omnia, dedidicit.

XXIIII. Moyses & Aaron.

Quod manus est menti, Moysi fuit illud Aaron:
Alter erat præbens, alter at accipiens.

XXV. Ad Thomam Ihonstonum Theologum.

INgenium Ihonstone tuum, geniusq; genusq;,
Fallor ego, aut nequeunt iam latitare diu:
Verùm si latitent, non nostræ est culpa Camœnæ:
Namq; inter claros te locat illa viros.

XXVI. In Marcum.

Nôstis cur Marcus tam macra Poemata fecit?
Cùm faceret, solas ille bibebat aquas.

XXVII. Ad IACOBVM Regem.

Si non te Regem Deus & Natura creâssent:
Te regem virtus, te faceret q; Deus.

XXVIII. Tumulus Mariæ, Scotorum Reginæ in æde sacra Westminsterij.

IAm Mausolæum fileat ventosa vetustas,
Et sit Mareo gloria tota suo:
Mirorum cumulos tumulo hoc quin cerne viator:
Cerne, & vix oculis cernere crede, tuis.

XXIX. In Lividum.

Livide, non miror quòd tu mea carmina carpas:
Carmina nulla facis: Carmina nulla probas.

XXX. In Turcam.

MOnſtrũ horrendũ, ingens, fidei cui lumen ademptũ:
Turca, ego non miror ſi Polyphemus eris.

XXXI. In Georgium Buchananum.

QVantum acquiſivit famæ tibi docta Poeſis
Infamem tantum, te tua penna facit:
Improba penna, Strygum nata infœlicibus alis,
Quâ lacer as dominam tu Buchanane, tuam.
Hæc illa eſt quondam Scotorum Maria, cuius
Viroſo invito vate revivet honos.

XXXII. Ad quendam de Aulo Cauſidico.

IMprobus eſt Aulus, dicis: ſed falleris, Aulus
Improbus haud ille eſt: ipſa ſed improbitas.

XXXIII. In Monetum quendam, nomine.

GRammaticis vox eſt Monetus falſa: moneta
Dicendum eſt: fallax eſt quoq; cuius erat.

Ergò cùm re ſit fallax, & nomine falſus,
Dici Monetus falſa moneta poteſt.

XXXIIII. Fallaciæ ſepulchrum nullibi.

VIdi ſepulchra plurimorum plurima:
Nunquam at ſepulchrum videram Fallaciæ:
Quæ cauſa? nemo ſcilicet mortalium
Hanc vidit vnquam, vel videbit, mortuam.

XXXV. Gemelli.

NAti vnà, mores vni, mors vna duorum,
Oſſaq; ſunt vno contumulata loco.

XXXVI. In Idam.

NOſtîs plumato cur nobilis Ida galero
Vtitur? an quoniam ſit nota pluma, ducis?
Nempe ille vt Martis: ſic eſt dux illa mariti:
Imperat ille foras: imperat illa domi.

A

XXXVII. Ad inopem amicum.

Cùm danti quod des tibi nil sit, grata voluntas
Si tibi, te laudo: te voluisse sat est.

XXXVIII. Ad divitem amicum.

Excipe pro dono gratum, dignumq; relatu;
Nempe nihil, *nullo quo potimur pretio:*
Nam virtute nihil, nihil *est pretiosius auro,*
Et nihil *est summo gratius imperio.*

XXXIX. Archibaldi avi Epitaph.

Bellum erat extremum quod Scotos Anglia contrà
Gesserat: extremum quòd sit & usq; precor:
Hîc Archibaldus cadit infœlicibus armis;
Et moritur patriæ victima chara, suæ.
At vos ô Angli, vobis cœlestia parcant
Numina! sic vobis nunc ego parco, nepos.

XL. In Vmbrionem.

Fœmina nulla vſquam caſta eſt, ait Vmbrio, matrem
Nonne meretricem ſic probat eſſe ſuam?

XLI. In Diſſimulatorem.

Quiſquis diſſimulas, tum diſſimulare memento,
Cùm tua furtivæ vis dare colla cruci;
Quod citò ſi facias, prius & quàm intelligat vllus:
Sic mihi tu doctus diſſimulator eris.

XLII. Ad Ioannem Adamſonum Theolog. & olim præceptorem.

Adamſone ſacri ſector fidiſſime verbi:
Et ſub quo lauri gloria parta mihi;
Te monſtrante viam, priſci monumenta Stagiri
Præbuerãt animo ſe manifeſta meo:
Tuq́, mihi placidos formâſti in pectore mores;
Per te, quicquid id eſt quod ſcio, id eſſe ſcio.

XLIII. Ad Academiam Cantabrigiensem.

Doctorum genetrix, Anglæ fax altera gentis,
Cuius ab eximio lumine, lumen habet:
Pierij Regina Chori, tibi magnus Apollo
Perpetuet sobolem tempus in omne, tuam.

XLIIII. Ad Annam Reginam.

Nescio si à Bruto *sit dicta* Britannia: *ab* Anna,
Eius quòd pars sit maxima dicta, scio.

XLV. Ad Robertum Etonem, Equitem, Annæ Reginæ Secretarium, &c.

Eton inexhaustis Phœbi satiate fluentis,
Palladis, & Suadæ viva medulla deæ:
Mars aliis equitum solos largitur honores:
Hos tibi sed præbent Mars, & Apollo simul.
Una manus calamum teneat, manus altera, ferrum;
Sic sis nominibus dignus vtrinq;, tuis.

Ad

XLVI. Ad eundem.

TAntus es vt latio, vel Quintilianus & ipse
Exprimere haud nomen quiverit ore, tuum:
Ethon es, aut Ethos, *nec vter sis deniq; refert.*
Omnia sic vnus munera mentis habes.

XLVII. In Dominicanum quendam.

PEctora cùm tibi sint Stygio malè tincta veneno:
Te domine, *haud* canum: *te voco* dæmonici

XLVIII. Ad Edvardum Cokceium, Iudicum in Capitalibus principem, & supremum, sub Rege, dominũ, in Anglia, &c.

OS Themidis, Suadæ linguã, mentemq; Minerv
Divûm dona trium, vir licet vnus, habes.

XLIX. Ad IACOBVM Regem, de eodem.

QVamvis milleno perijſſent funere leges,
Inq́ forent cineres iura redacta leves.
Hæc eadem invenias Cockcei è corde renata:
Illius vt curâ, iam renovata vides.

L. Ad Ferdinandum Gorgeum, Equitem, Plymmothæ arcis Ducem, & Mecænatem ſuum.

INclyte dux, & eques qui miſces Pallada Marti,
Et facis, vt titulos tollat vterq́ tuos:
Ferdinande, tuo quod tu, pro nomine nomen
Magnanimus, magni nobile regis habes.
Omen habet; regis nam pulchro in corpore vires
Sunt tibi; mens fortis, ſors tibi ſola deeſt.

LI. Ad eundem.

TE ſubdo hîc regi, meliùs quia ſubditus olli
Nemo eſt, ſeu tibi Mars, ſeu tibi Muſa placet:

Muſæ

Musæ es Mæcenas, te Martem miles honorat;
Augustoq; tuis solùm opus est, meritis.

LII. In indignos vrbium Maiores.

Quod tandem elapso fieri solet Almanac, anno:
Hoc fieri indignus Maior, in vrbe solet;
Annum quando suum nam cùm perfecit vterq;,
Almanac haud aliud sunt, nisi vterq; vetus.

LIII. Ad Epigrammatistam.

Esto mihi facilis quicunq; Epigrammata scribis:
Nimirum, nugas non amo difficiles.

LIIII. Ad Romam.

Roma, age, dic aquilam cur tu magis ansere laudes?
Hæc te servavit, sæpè ea diripuit.

LV. In rerum Divinarum ſtudioſos.

Divinitatiſic multi modò ſtudent,
Humanitatem vt prorſus omnem negligant.

LVI. Ad Iacobum Stuartum Ochultriæ dominum, &c.

Quod primò eluxit fato meliore, ſed & mox
Penè malo extinctum eſt, nobile ſtemma patris;
In te prole, novo iam tandem fulget honore,
Poſſidet antiquas & novus auctor, opes.
Macte ergo virtute, & te maioribus offer:
Creſcant pro meritis & meliora, tuis.

LVII. De ſeipſo ad Vanum.

Vane, genus iactes, quod ſit mihi nobile quamvis;
Non genus, at genium (ſi volo) iacto meum.

In

LVIII. In Marculum Mathematicum.

POsse Mathematicas cùm tu te Marcule, iactas
Ter denâ totas luce docere, tuas:
Non miror, talis tua namq; abstractio non est,
Qualis erat veteri nota Mathematico:
Abstrahere ille solet subiectis entia rebus:
At tu res ipsas à ratione trahis.

LIX. In Simulatorem.

OMnes qui simulat, capit & quem nulla simultas,
Dis simulatorem non simulatus, habet.

LX. In ostentatorem.

PEritus nimiùm cupis videri:
Peritum volo, non nimis peritum.

LXI. De Academia Andreapolitana.

Scotorum Andræa prima est Academia gentis,
Tempore, fortunâ, conditione, loco:
Sed si etiam rerum sit cognitione suprema,
Contendunt aliæ, non sine laude, scholæ.

LXII. In Pætum.

Nescio tam multos cur laudes Pæte, Poetas:
Quòd dicat laudes, hoc scio, nemo tuas.

LXIII. In Danicum.

Semper ais nolo, nolo mihi Danice, dicis:
Vis centum libras? dic aliquando, volo.

LXIIII. Ad Guilielmum Carum à Gaitshaw.

Si mores hominum multos quòd nôrit & vrbes,
Laus hæc ductori maximа Dulichio:

Omne

Omne genus morum, totum & qui noveris orbem
Care, vt quantus honos est tibi, quantus homo es?

LXV. Academiæ Oxonienſis, & Cantabrigienſis ſororum, concordia.

QVòd ſint Oxonia & Cant'brigia docta, ſorores,
Ipſæ vt concedunt, ſic quoq; nemo negat:
Tota autem lis est, harum quæ maxima natu,
Hæc ſenior, non vult iunior illa fore:
Vt litem hanc tandem dirimant, ſint ergo gemellæ,
Natæ ſic vno ſint q; puerperio.

LXVI. De eadem.

VT ſunt germanæ, ſic ſint pariter q; gemellæ,
Oxoni-Cant'brigia, Cant'brigi-Oxonia.

LXVII. In malum Poetam.

DVlcia tu ſcribis, numeroque fluentia molli
Carmina, quæ nunquam poſſe perire putas.

Fa

Fallere, plus vivent quæ dura, & falsa, sed illa
Putrescent, aliquo sint nisi tincta sale.

LXVIII. Dominus avarus.

NOn ego sum Dominus, domini quia nomine dignus:
Sed dicor dominus, do quia dona minus.

LXIX. In Curionem.

CVrio contentum se dicit vivere parvo:
Ingenio vivit scilicet ille, suo.

LXX. Ad IACOBVM Regem,

OLeis oliva regit nostros Iacobe, Britannos,
Et fruitur placido pax quæ, quies q; iugo:
Ergo agimus lati tanto tibi, munere grates:
Oblectant genio se tua regna tuo.

LXXI. Ad Ioannem Morravium, Iacobo Regi à Cubiculis int, &c.

TErreno ter chare Deo, ter chare Tonanti,
Morravi, ô Musæ ſpes quoq; magna meæ!
Unde tuis meritis datur hoc tam nobile nomen?
An quod ſis ῥάδιος moribus illud habes?
Non dubium eſt, ſic es facilis, ſic gratus amicis:
Sic te Mor-ῥαδιον, Rex Iacobus amet.

LXXII. De Carmine.

TEmpora carminibus cuncta haud ſunt apta legendis
Aptus non omnis Carminibuſq; locus:
Ille ſapit, qui quando locus, cùm tempora poſcunt
Scit recitare, at plus qui retinere ſciat.

LXXIII. De Angelis Iacobi Regis.

PAuci Iovæ Angelum petunt tutorium:
Iacobi at angelos *petunt quamplurimi.*

LXXIIII. Ad Alexandrum Ramiſeum, Medicinæ Doctorem.

RAmi-σεος cùm ſis, rami Deus, *alter Apollo*
Scilicet in medicis: hinc tibi quantus honos?
Aureus hic etenim eſt ramus, *cui portitur orci*
Debet, cui ramus *cedere Dardanius;*
Duxit ad Infernum hic vivas: ſed & ille reduxit
Extinctas animas ſæpius inde, tuus.

LXXV. Io. Moravij Epitaph.

MOrtuus haud ille eſt magnus Morravius: ille
Mortuus eſt quem mors imperioſa rapit:
At morti in Muſas, æternaq́; munera Phœbi,
Imperium non eſt: ille Poeta fuit.

LXXVI. Ad Martem.

DImittas Mars M-ille tuum, tua robora perdes:
Sic eris, & doctis, Ars veneranda, viris.

LXXVII. Ad Tobiam Mathæum, Archiepiscop Eborocens. &c.

Dici equidem verè poteris vir magne, Tobias:
Tibi Tobiæ est Charitas.
Quin & Mathæus quàm rectè diceris: huius
Est mens tibi, & modestia.
An plus sis videas: vnum te dico duorum
Naturam habere, & nomina.

LXXVIII. In Scioppium.

Docte tui, & prudens domini parasite, Scioppi,
Ἀσκιὰς & ὄπος, quàm bene nomen habes.
Nam tua ne appareat stolido impostura popello,
Vmbrâ tu vocem condis inique, tuam.

LXXIX. Ad Avitum.

Cras fore prudentem, cras dicis semper, Avite:
Dicere non satis est; quin hodie incipias.

LXXX. Ad Ionetam matrem.

QVòd nemo matrem nisi se laudaverit ipsum
Laudârit, laudes non ego dico tuas;
Si laude invenior dignus, tibi gratia tota est:
Est tua laus mea laus, laus mea lausq; tua est.

LXXXI. In Milvium.

SEmper eris nequam, si nequam es, perdite Milvi:
Nam nequam est nequam semper, & haud alius.

LXXXII. In Lycophronem.

NOn citius durum mea dextra Lycophrona sumsit:
Quàm sumptus, dextrâ decidit ille meâ:
Decidit, & dico dextreque, pediq; Poetam
Vt tollant; nullâ sed ratione valunt.
Quid faciam? parere mihi mea membra recusant:
Quid facerē? Lycophron decidis: ergo iace.

LXXXIII. Io. Makiæ Epitaph.

Hic recubat, veteris quæ simplicitatis imago,
Normaq; sinceræ Makia, amicitiæ:
Marmore non tegitur crasso; nam nuda videri
Debet simplicitas, debet amicitia.

LXXXIIII. Ad Aulicum quendam.

Avlice, si cordi tibi sit lasciva libido,
Aulâ conveniens est tibi caula, magis.

LXXXV. In Gunternm Germanum Græcarum Litterarum professorem.

IN Græcis melior nemo Gunterę, professor
Est te, non si vel Græcus & ipse foret.
Est in Germanis: Germano at natio nulla
Græcari in toto doctius orbe, solet.

LXXXVI. In quendam.

QVid vetat, hunc pictis tantùm gaudere tabellis,
Cùm ſimile in ſimili gaudeat omne ſuo?

LXXXVII. In Iulium, & Ioſephum Scalligeros.

ET pater, & proles generoſo ſanguine creti,
Vltima pierij meta fuere chori:
Noluit eſſe pater proles, ne gigneret illum,
Qui patris inceptum non ſequeretur iter:
Nempe vt magna duo tantùm ſunt lumina cœlo:
Lumina nec poterant plura fuiſſe ſolo.

LXXXVIII. Aliud in eoſdem.

NOn ego Scalligeros cœleſtia ſcandere miror;
Scalas queis poſſint ſcandere, quando gerant.

LXXXIII. Io. Makiæ Epitaph.

Hîc recubat, veteris quæ ſimplicitatis imago,
Normaq́, ſinceræ Makia, amicitiæ:
Marmore non tegitur craſſo; nam nuda videri
Debet ſimplicitas, debet amicitia.

LXXXIIII. Ad Aulicum quendam.

AVlice, ſi cordi tibi ſit laſciva libido,
Aulâ conveniens eſt tibi caula, magis.

LXXXV. In Gunternm Germanum Græcarum Litterarum profeſſorem.

IN Græcis melior nemo Gunterę, profeſſor.
Eſt te, non ſi vel Græcus & ipſe foret.
Es tu Germanus: Germano at natio nulla
Græcari in toto doctius orbe, ſolet.

LXXXVI. In quendam.

Qvid vetat, hunc pictis tantùm gaudere tabellis,
Cùm simile in simili gaudeat omne suo?

LXXXVII. In Iulium, & Iosephum Scalligeros.

Et pater, & proles generoso sanguine creti,
Vltima pierij meta fuere chori:
Noluit esse pater proles, ne gigneret illum,
Qui patris inceptum non sequeretur iter:
Nempe vt magna duo tantùm sunt lumina cœlo:
Lumina nec poterant plura fuisse solo.

LXXXVIII. Aliud in eosdem.

Non ego Scalligeros cœlestia scandere miror;
Scalas queis possint scandere, quando gerant.

LXXXIX. In merum Scholastam.

O Doctissime qui fuere, vel sunt:
Sed stultissime qui fuere, vel sunt:
O quàm te fieri Scholasta, vellem
Prudentem magis, aut minus peritum!

XC. Ad Daucum.

Dicis te doctum, dicis te Dauce, disertum:
Illud quod non est dicere Dauce, soles.

XCI. Ad Lividum.

Curta nimis vocitas Epigrammata Livide, nostra:
Concedo, curtus si tibi sit q; gigas;
Non sunt curta quibus nil quod superaddere possis:
At tu longa facis: sunt ea curta tamen.

XCII. Ad Morionem.

VIs fieri ſapiens? mentiris Morio, non vis:
Sed fieri ſi vis, hâc ratione potes;
Vtere conſilio, magnis neve obſtrepe verbis;
Sic ipſi placeas tu tibi neve nimis:
Hæc tibi ſi vis eſt, ſi mentis tanta poteſtas,
Morio cùm nunc ſis, eſſe Minerva potes.

XCIII. Ad Marculum.

FErs nunquam novîſſe meam me Marcule, matrem:
Sed nunquam patrem te puto, nôſſe tuum.

XCIIII. In Olum.

HIſpani caput & collum, tergumq; Britanni,
Fœmina Suevorum, Flandri at aqualiculum:
Hæc tibi cuncta quidem, fateor, ſunt Ole; ſed vnum
Deficit, in cerebro mens tibi ſana tuo.

XCVI. In Curionem quendam.

Nil habet auratis in bulgâ Curio, plantis,
Quòdq; aurum temnat sub pede calcat, ait.

XCVII. In avarum quendam, Carmen retrogradum.

PHœbicolis bene fers stipem, nec præmia servas
Debita, quæ Musis sunt data pauperibus:
Iam scio divitias temnis, non diligis aurum
Nobilis, haud cerdo es sic, sue sordidior.

XCVIII. Ad Zoilum.

HOc sparsum est dirâ carmen lethale cicutâ;
Rodere, tu sodes, Zoile? rode, licet.

Lud

XCIX. Ludus Scacchiæ.

TVrris, eques, myſtes, rex, & regina, pedeſq́:
It pedes vt caſim, punctim capit: vrget vtroq́,
Et capit illa modo: Rex ſtat, niſi cogitur vno
Ire gradu: myſtes punctim graditur q́, capit q́:
Pergit Eques, cædit q́ obverſo tramite, turris
Per medias cæſim ruit imperterrita, turmas.

C. Ad IACOBVM Regem.

A Iove principium Muſæ eſt: Iacobe, ſed à te
Non modò principium: ſed mihi finis erit.

Finis Centuriæ tertiæ.

ILLVSTRISSIMO, Gratioſiſsimo, optimæq; ſpei, CAROLO, magnæ *Britanniæ Principi*, &c. Salus.

MAieſtati Sacratiſsimæ regis, & patris tui ſemper auguſti priores tres Epigrammatũ meorum Centurias conſecraui: nunc quæ ſuperſũt tres aliæ: has Princeps illuſtriſſime, ad tua etiam ſacra humillimè affero: nam cum eas regijs duntaxat perſonis, fortean nimis ambitioſus, dedicare decreuerim, nec priorem te, qui patri tuo ſereniſsimo ſit ſecun-

cundus, viderim, Celſ. tuæ apprimè conſecrádas cenſui, præfixà etiá Ode Encomiaſtice, quæ licet meritis tuis longè impar ſit, te tamen ſubmißiſſimè precor, vt neque hanc, neq; alia à ſereniore gratioſißimi vultus conſpectu, quantum vis, vt ingenuè fatear, te tanto Principe indigna, abarceas: nec enim quid mereantur dico, ſed ſi te Mæcenate, non moriantur, mihi ſufficit. Interim Princeps Illuſtriſſime, patris tui ſereniſſimi imago ipſiſſima, matris gratioſißimæ ſolamen, fratris tui deſideratiſſimi exemplar redivivum, & horum deniq; regnorum ſpes vnica: fœliciſſimè, diutiſſimè vive, vige, Deus faxit, & velit. Vale.

Celſitudinis tuæ ſacroſanctæ

ſervus devotiſſimus,

Io. Dvnbar.

Ad Sereniſsimum, potentiſsimumque CAROLVM, magnæ Britanniæ Principem, &c. Oda Encomiastice.

SI Lingua poſſet, quas animus velit
Proferre laudes, quæ tibi debitæ:
Se, celſe Princeps, quo minorem
Fama ſuis meritis triumphat:
Non vinceret me gloria Thraciæ,
Non Mantuanus Pieridum decus,
Non exul Euxinas ad oras,
Neve lyræ Deus ipſe Phœbus:
Qualis ſed ingens Eridanus ſonos,
Cùm volvit altos in mare vortices,
Emittit, & vicina ſecum,
Cuncta citas rapit in ruinas:

Sic

Sic ipse vates altior omnibus,
Clamore supra sydera, Pierin
Deducerem de monte, mecum
Et raperem feriora monstra.
Fluctus silerent, saxaque nubibus
Æquata, sævis flatibus Africi,
Movent quæ inæquales procellas,
Aeolio premerentur antro.
Orci sileret bellua centiceps,
Aureſque nostris Anguipedes, sonis
Darent benignas, dumque honores,
Dum que tuos titulos referrem:
Sed te merentem, maxime principum,
Quis possit æquis dicere laudibus?
Æternitatem nam caduca
Sensa hominum superare, certum est.
„Mortalis in vitâ (vt perhibent) suâ
„Nil prorsus vltra dona trium potest
„Bonorum habere, corporisque,
„Atque animi, placidæque sortis.
Quin supperunt nec singula, singulis:
Nam quem venusto corpore conspicis:
Cui forma, robur, cui iuventus,
Temperies meliorque membris.

Hic

Hic ſæpe mentem his dotibus imparem,
Quamvis in apto corpore, geſtitat,
Et contra, cui deforme corpus,
Mente poteſt ſimilare divos.
Vtriſque ſunt his quique valent bonis,
Et mente magnâ,& corpore conſono,
Qui ad ſumma cœli templa poſſent
Æthereis volitare pennis:
Fortuna quin hos improba deprimit,
„Fortuna, ſemper quæ fatuis favet,
„Raroq́; vel nunquam merentes
„Pro meritis malegrata, tollit.
At celſe Princeps, tu tamen omnibus
Iſtis abundas ſolus: habent tua
(Externa ſi referre poſſem)
Ora Chori Charitum decentes:
Sic tanta membris gratia ſingulis,
Formæ decoræ cernitur in tuis,
Vt vix Apelles ipſe poſſet
Te proprijs animare ſignis:
Vix ipſe vivo ſculpere marmore,
Aut te merentem Praxiteles queat,
Verſuque debito ſonare,
Nirea qui cecinit, Poeta.

Hinc ergo iuxta hoc (quod veteri ferunt
Sermone) quòd sit forma potissimùm
Regnare digna, te ipse vultus
Ille tuus volet esse regem.
Sed parva cùm sit gratia corporis
Solius, atq; hanc quilibet è grege
Vilis popelli habere possit,
Et mulier memorare formam.
Est & tibi mens celsior omnibus,
Mens, quâ vel ipsos æquipares Deos,
Cui continendæ vix satis sit,
Corporeæ sacra summa molis.
Quæ nam q; virtus, cuius adorea
Non in te honoro vertice fulgeat,
Aut meta cuius vltima in te,
Non radijs niteat supremis?
Oblectat ipsam Religio, tui
Se pura, cordis sub penetralibus:
Dei reformatusque cultus
Ille tuos habitat penates:
Astræa sacris incaluit focis
Divina circum pectora, quæ tibi,
Tuamque finxit Suada linguam,
Labra sacræ dederant Camœnæ,

Dicam

Dic amne verò quanta modestia,
Moresq; quàm sint compositi simul,
Constantiæ tenorque quis sit,
Quæ gravitas tibi,& amplitudo?
Heroico sic progrederis gradu,
Tollens in altum vivida lumina,
Vt donec incedis, mihi ipsi
Semideum videar videre.
Phœbæa talem Tyndaridas, chelys;
Talem vetustas finxerat Herculem:
Nato dum ad ingentes labores,
Ora decus iuvenile, texit.
Quin hîc, vel omnes ire per ordines
Virtutum & ausim,& dicere ceu tua
Natura vt arte certior sit
Omnimodâ, nisi me vocaret
Fortuna, cuius viribus asserunt
Nobis negatum posse resistere;
Nec non volentem me iuberet
Dicere quid tibi destinârit:
„Sors nulla regum est sorte beatior,
„In quâ supremas circinat orbitas,
„Supraque nec possit moveri
„Imperiosa rotæ magistra:

Olli sed istâ debitor haud eris
Pro sorte: nam tu regibus editus,
Ad Sceptra nasceris tuenda,
Per proavos tibi missa mille.
Nil est favorem quod facias vagum
Monstri biformis: scilicet haud eges
Eius favore, sed tuo illa,
Illa tuo potius favore.
„ Fortuna tantùm est fabrica principum;
„ Iam namq; tollunt, iam quoq; deprimũt
„ Et hos, & illos, proque nutu,
„ Imperium in populos tuentur.
„ In principem quin, imperium est Dei,
„ Qui cuncta sancto numine dirigit:
„ Hic omnium est rerum creator,
„ Quem Superi metuunt, & imi.
Rex ille regum maximus, optimus,
Hæc regna quondam qui Proavis tuis,
Tuo patrique ter beato
Tradidit, est tibi traditurus:
Sed serò postquam sydera viderit
Divinus ille, & Christicolûm tuus
Pater columna, quam vel annos
Pyramidum superare cernas.

Rex

Rex ille regum, & rerum opifex Deus,
(Me nunquam ô votum decipiat meum !)
Regnum paternum neve tantùm
Det tibi denique, quin & vſque
Defendat, oro, ſecla per omnia;
Servet, gubernet, ampliet, augeat,
Natique natorum tuorum
Innumeros videant Nepotes.

Canebat Celſitud, tuę
Cultor religioſiſſ.

I. D.

EPIGRAMMATON Centuria IIII.

I. Ad CAROLVM Principem.

PRincipium ante Deus : de principio extitit orbis :
Aſt ipſum hic noſtrum à Principe principium eſt.

II. Ad eundem.

OCui ſic patrias ediſcere contigit artes,
Vt dubium proles Carole, ſis ne pater ?
Virtutum aflatu teneram hinc tibi perſonat aurem
Fυλλ'αρετων, tuus eſt qui màge quàm ſuus eſt.

Eſt

Est & Morravius radius *tibi deniq;* morum;
Non mirum est pancos te tibi habere pares.

III. Ad Frederici Principis Palatini Rh: filium primogenitum.

QVidam, nescio quis, quod sis spes vna Britannûm,
Dixerat in versu, forte Poeta, suo;
Ast apage hunc titulum: namq; est spes vna Britannûm
Carolus, & si sis altera spes, satis est.

IIII. Ad Criticum.

CRitice quando meæ repeto tibi Carmina Musæ,
Quæ peiora facit: sed meliora nequit:
Semper ais, non ante mihi censura feretur,
Omnia quàm limâ liberiore traham;
Limavi toties vt nil mihi deniq; restet;
Da modò censuram, Critice, quæso tuam?

V. Ad obſcurum Poetam.

CVr ſic obſcurè ſcribas, obſcure Poeta?
Cur adeò veteri ſic tibi voce places?
Hocne facis nemo vt tua ſenſa intelligat? atqui
Hoc melius facias, ſi penitùs ſileas.

VI. In Aellam.

BIs binæ fuerant furiæ cùm vixit Aella;
Mors rapit: ad numerum iam rediere ſuum.

VII. In Aulum Cauſidicum Chiragricum.

QVin capis Aule, cliens id quòd tibi porrigit, aurum?
Eſt tibi mens ſaltem, ſi tibi nulla manus.

VIII. Ad Franciſcanum quendam.

FVniger, haud funis pingui pro ventre ligamen,
Sed laqueus collo debuit eſſe tuo.

Bel-

IX. Bellum Bacchicum.

Intrant ad acre prælium magni viri
Ductore Baccho: prælij verò locus
Tanti, taberna eſt, hedera vexillum, tubæ
Fides, & enſes cyathi, & haſtæ lychnea:
At ſunt Sclopeta fiſtulæ tobaccicæ:
Clamant, ruunt, icunt, cadunt quàm fortiter;
Quid multa? multa ſanguinis diffuſio!

X. Ad Menelaum.

NOn ad te currunt doctorum turba virorum:
Currunt ad cœnam ſed Menelae, tuam.

XI. Calvini metamorphoſis inepta.

CAlvinus ſi ſit Lucianus nomine verſo,
Verſus & Alcuinus ſic Lucianus erit.

Ad

XII. Ad Philomusum de Hypocrita.

Aspicis incomptis hunc tu Philomuse, capillis,
Cuius & ipse times triste supercilium:
Qui loquitur patres, cui biblia semper in ore;
Nolito fronti credere, fronte caret.

XIII. In Læam.

Natura vt matrem, sic inclementia monstrum,
Te facit in prolem dira virago, tuam:
Vel si non monstrum es, monstro es monstrosior omni;
Sævior & sævis sæva Leæna, feris:
Non odit teneros sævissima bellua fœtus:
Tu cane, tu prolem peius & angue fugis.

XIIII. Thomæ Overburij Equitis vita, & mors ad viatorem.

Vita hominis quæ sit, quæ mors, vis scire viator?
Est Heraclitus, qui modò Democritus.

Hic sibi nimirum, docet vt suus ecce, Character:
Quin ille, infœlix mortuus est alijs.

XV. In Lutherum.

LVtherus cùm sit purus, mihi dicite, quare
Et Puritanus, non quoq; verus erit?

XVI. Ad D. Maseotum medicum Rupellensem.

AVt Mesue, aut ægris alter Maseote, Machaon,
Cùm placeat medicas applicuisse manus.
Quando ad supremum mihi fractæ in corpore vires,
Et iam nil nisi mors quod sequeretur, erat.
Marte tuo in mortem tunc est mihi reddita vita:
O vtinam à Musâ sit tibi vita meâ!

XVII. In Cordum.

VIr bonus, & simplex cùm non vis Corde, vocari:
Te meritò duplicem nonne vocabo, virum?

Ad

XVIII. Ad Ioannem King Episcopum Londinensem, &c.

CHare Deo, chare idem homini, cœloq́, soloq́,
Cui cordi pietas, gratia, pura fides:
Tu verus recti es custos, tu cultor honesti,
Prudens, & sanctâ simplicitate probus:
Esse olim regem *qui dixit, ποίμενα λαων,*
De nullo, aut de te dicere, iure potest.

XIX. In Marium.

LAudavi Marium, nil dixit: nil dabit ergo:
Quas dixi laudes legerat: ergo dabit.

XX. Ad CAROLVM Principem.

CÙm Græcus partim, cùm sit partimq́, Latinus
Carolus: hoc nomen credo quòd omen habet:
Charus ὅλος totus suavis, iucundus, amicus,
Moribus, ingenio, liberiore manu;
Nomine sic iungis qui nomina græca latinis,
Ipsam numre, rem iungere posse putem?

Pecu

XXI. Pecuniæ penuria, vnde.

Hinc est nummorum quod tanta penuria, nummos,
Consumunt Iuvenes, concumulant q; senes.

XXII. Paradoxon, miracula non cessare.

Quod Christianis asserunt, miracula
Cessare nuper omnia:
Falsum videtur: nam virum verè probum
Videre iam, miraculum est.

XXIII. In patrem quendam.

Consilium prabes gnato, non accipis ipse:
Hoc sapere est gnatum plus voluisse, patre.

XXIIII. Ad Ioannem Dunbarum Philosophiæ professorem, Rupel.

Frendeat vsq; licet, fremitet q; ignobile vulgus,
Haud poterit titulis detrahere vlla tuis:

Dum

Dum namq́ in pretio fuerit clementia, dumq́
In pretio pietas, pax, amor, atq́ fides,
Quæq́ in te demum est Dumbare, scientia rerum,
Tu vives, vulgus quando peribit iners.

XXV. Ad eundem.

Quòd gravitas Dumbare Sophi tibi convenit: illu
Nomen ait, doctus sis benè dumque pavo.

XXVI. In Medicos nostri seculi.

Si medici sunt Dij, ceu secula prisca putârunt;
O quàm nunc atas nostra beata quidem est!
Nempe in quâ iuvenes medicos, tot vbiq́ videmus,
Esse queunt qui Dij quàm prius esse viri.

XXVII. In Macrinum.

Cùm tantùm studeas stultus Macrine, videri;
Hoc quod es esse studes: quære aliud studium.

Cæ

XXVIII. Cæci amicitia.

Qvalis amicitia hæc? nam non tu Cæce, sodalem
Cures suspensum posse videre tuum.

XXIX. Ad Ponticum.

Cvr patre illustri iactas te Pontice, natum?
Mentiris: genitor nam tibi Sartor erat.
Aut genitor tibi Sartor erat, vel Pontice, Sutor;
Calceus hinc, hinc te pallia nobilitant.

XXX. Aliud in eundem.

Omnis nobilitas est à virtute: sed omnis
Est à veste tibi Pontice, nobilitas.

LXXXI. Ad D. Loumæum Theol. Rupel.

Qvi medicus fueras, nunc es Loumæe, minister:
Quod quondam medicus, iamq; minister agis:

Hoc

Hoc tamen vt video discrimine, corporis olim,
Nunc animi afflictis quòd medeare malis.

XXXII. Ad Iacobum Fullartonum Equitem, Carolo principi ab Int. Cubiculis, &c.

FVllarton meis semper celebrande Camœnis,
Mores sive tuos prædico, sive genus:
Sancta fides, pietasq́, tibi sub pectore regnant,
Omniaq́, eximo munera digna viro:
Auxerunt Equitis tituli tibi nobile stemma;
Fors favet, & meritis splendida fama tuis,

XXXIII. Ad eundem.

SIve ἀρετης fuerit φυλλον, vel φυλλον Αρηος,
In Fullartonum *quadrat vtrumq́, suum.*

XXXIIII. In Marcum.

Est tibi pulchra quidem fateor Macrine, crumena:
Sed nil est præter pulchra crumena, tibi.

XXXV. In studiosum quendam.

VT libros emeret studiosus vendidit agros:
Nil præter libros nunc studiosus habet.

XXXVI. In Silurium.

LÆdere te nolo, sed nec laudare Siluri:
Nolo sis sapiens, nolo quòd insipiens.
Nec tibi sit Mævi, nec sit tibi vena Maronis:
Nolo nimis doctum te fore, nolo parum.

XXXVII. In Salium.

NVllos esse probos, virosq; frugi
Affirmat Salius: probat ne prorsus

Hâc ipsâ ratione se esse nequam?

XXXVIII. In Thelesinum.

IN Campis nigro pomum cum pane comedit,
Et prandisse foras se Thelesinus, ait.

XXXIX. Ad Thomam Vallam â Cragie.

DVmbaro dilecte tuo, doctissime Valla,
Et semper Musis condecorande meis:
Nulla equidem nostram trahit admiratio mentem
Terrarum varios, te peragrare sinus:
Sed multùm admiror sacræ nisi gloria turbæ
Gallia, det genio munera digna tuo.

XL. De Statuis.

ESse homini similes statuæ per singula debent:
Nunc homines multi sunt similes statuis.

XLI. De Picturis & Statuis, aliter.

Facta suo similis picto pictura niteret:
Picturæ at pictus nunc magis est similis:
Sic stantes debent statuæ sculptosq; referre:
At referunt statuas pars bona sæpe, suas.

XLII. Ad Alexandrum Wodneum, De suo Olivero Betelero.

Non quòd Olî-verum redames sic Vodnee, ramum
Miror: nam hunc ramum Palladis esse ferunt;
Quin tibi ceu Pallas, cùm cordi est doctus Apollo:
Οὐδενος (hoc miror) cur anagramma tuum est?
Nimirum, haud aliter quàm vt nomine dictus Vlysses
Οὐτινος, & dictus Οὐδενος esse potes.

XLIII. Ad Momum.

Dente ruens in me sævo ceu Lacon in agnum:
Cur mordes versus, invide Mome, meos?

Duri ſunt illi nimiùm : tibi conſulo , dentem
Frangere ſi non vis, me ſine, cùm poteris.

XLIII. Ad CAROLVM Principem.

VIrtus magna tibi, rerum et prudentia maior
Florent ante tuos Carole magne, pilos.

XLIIII. Ad Thomam Morravium Caroli Principis præceptorem, &c.

QVæ tibi Morravi, virtutes Principe dignæ,
Fecere vt cuſtos Principis ipſe fores:
Mens pia, fida tibi eſt, facies gravis, actio conſtans,
Soler s ingenium, ſcire tibi eximium.
Carolus his quòd ſit teneris aſſuetus ab annis,
Id debet genio terra Britanna tuo.

XLV. Deploratio temporum.

NOn ſacræ doctis nomen famamq; Sorores
Dant modò, ſed vilis ſartor vtrumq; dabit:

Nimi-

Nimirum haud hominès faciunt virtute Sorores;
Verùm ſartores veſtibus hos faciunt.

XLVI. Ad Aulum.

QVòd voco te dominum, ne ſis tamen Aule, ſuperbus:
Sic ego mancipium nomino ſæpe meum.

XLVII. Ad Ioan: Re, Criticum.

NOn potes eſſe nihil, namq; ablativus in vſu es:
Re, rectum caſum des mihi, Res & eris.

XLVIII. Ad eundem.

QVomodo te vocitem Muſarum docte Sacerdos?
An Re, Res, Raius, vel Reus eſſe velis?
Eſſe reus non vis ne condemnêre, nec eſſe
Aut ablativus, re quoq; ſic nec eris:
Fœminei generis res eſt: tu maſculus, ergo
Cùm neq; res fueris, Raius eſto tuis.

XLIX. In fucatam mulierem.

VMbra viri est mulier: sed nil est vmbra, quid ergo est
Fucata? vmbra vmbræ est: sic nihilo minor est.

L. Ad quendam Invidiosum.

TV mala nostra vocas Epigrammata: quærere noli
Ex illis cur te tunc ego sustulerim?
Nimirum mala sunt: sed ne peiora putentur
Excerpsi nomen invidiose, tuum.

LI. In Ministrum quendam indoctum.

EXtemporalis est Minister hic factus:
Nam Concionem non legit, mihi crede.

LII. In Tongillum.

VRi Tongillus morbo male dicitur æger:
Novi hominis mores: cum Glycira cubuit;

Per

Pertundi medicus venam præscribit: at errat
Hunc si Tongillum febre calere putet.

LIII. Ad Auctum.

FRustrà quòd nostris faveas ais Aucte, Camœnis:
Non mihi fautor eris, ni mihi fotor eris.

LIIII. Iacobi Stuarti, & Georgij Whartoni fatum.

AMbo annis, animisq; pares, & moribus ambo:
Et gente, & genijs, & genere ambo pares:
Ambo pares, etiam pari li certamine: vinci
Hic vt non potuit, sic nec & ille potest:
Ambo tamen victi, quòd se non vincere possent;
Victores victi nempe fuere sibi.

LV. Aliud de ijsdem, ad Britannos.

IAm tandem lento concisa Britannia bello,
Hîc videat lucri symbola certa sui:

Hinc Anglus Scotum, Scotusq; interficit Anglum:
I nunc & lites terra Britanna, fove.

LVI. Ad Patricium Iunium Iacobo regi à Bibliothecâ.

Nescio, ne valeam, si sit te doctior alter:
Doctrinam ostentat sed scio, nemo minus.

LVII. In Chlorida.

Esse loco nescit cum Myste Chloris in vno:
Peierat & mysten se neque posse pati:
Non miror: Myste cœlum est locus: illius orcus:
Adde, quòd haud ipsum scit tolerare Deum.

LVIII. Ad Aulum.

IN toto semel Aule, die te mandere dicunt:
A mane ad noctem scilicet, Aule, sedes.

Ad

LIX. Ad Thomam Goadum sacræ Theologiæ Doctorem, &c.

GOade, aonij notissima fama fluenti:
Quo nemo sacras largius hausit aquas:
Nostram vt iussisti prodire in lumina Musam;
Prodeat in laudes & mea Musa, tuas.
Quin & ab hac, etiam vel laus tibi quantula summa est?
Quàm tu eius, laudis plus eget illa tuæ.

LX. Ad Zoilum.

ZOile, ne ducas vultus: iam namq; placere
Inveni potero quâ ratione tibi:
Esse tua hæc fingas mea carmina: forsitan ipsi
Quæ tua sunt placeant, si mea non placeant.

LXI. Ad Vanum.

SI nostrum contemnis ave qui serica gestas,
Non te sed vestes Vane, saluto tuas.

LXII. Ad D Merlinum Theologum, Rupel.

Cùm memini quanto divina oracula zelo
Tractes: & quantum fulmen ab ore fluit:
Merline, eximias æterna in ſecula dotes,
Non poſſum ingenij non meminiſſe tui.

LXIII. Ad Torvulum.

Torvule, cur oculo ſemper nos aſpicis vno?
Non oculos plures eſt quia luſcus, habes.

LXIIII. In Marinum.

Pulchrè legit Marinus: eſt tamen ſtultus;
Multùm ſapit Marinus: eſt tamen ſtultus:
Legem explicat Marinus: eſt tamen ſtultus;
Togatus eſt Marinus: eſt tamen ſtultus;
Scribit libros Marinus: eſt tamen ſtultus;
Quicquid facit Marinus: eſt tamen ſtultus.

Ad

LXV. Ad Cordolum.

SVnt hominis frugi tibi verba, & Cordole, vultus:
Cætera crede mihi, sed nebulonis habes.

LXVI. Ad Ioannem Oenum Epigrammatistam.

TE pars Owenum, pars altera dicit Oenum,
Teq; Audoenum pars Odoene, vocat:
Nomina Romanis tria sunt: sed quatuor vni
Sunt tibi: quæ causa est? an quia Vallus homo es?

LXVII. Ad eundem.

Hexametro semper tua, pentametroq; Camœna
Claudicat; an non hinc tardior esse solet?

LXVIII. De Epigrammate.

ANguillæ pulchrum par esse Epigramma videtur:
Vtrisq; in caudâ nam sua vita suâ.

Ad

LXIX. Ad Alexandrum Stuartum Garlisij Dominum.

HEroum generose Hæres, qui sanguine longo
Ducis ab innumeris nobile nomen avis:
Si tantùm laus magna viris sit debita magnis;
Quâtum te parvum pinxero laude virum?
Quin magnâ te laude fero: nam corpore parvus
Sis licet: at magno magnus es ingenio.

LXX. Ad Iacobum Carmichaelem Carolo Principi à mensâ, &c.

CÙm tibi quæ pietas, cœlo quæq; æmula virtus,
Et videam quanto pergis ad astra gradu:
Angelicis si corda essent mortalia, possem
Dicere, quòd verè Cor Michaelis habes.

LXXI. De Capella.

DIcta Capella fuit Caprarum à pellibus: olim
His quòd Christicolûm tecta sacella forent:

At cur non templum potius dicatur ovile,
Christiadæ Christi quando vocantur oves?

LXXII. Responsio.

ID quòd ovile olim, dici iam possit omile;
Ignavæ quid oves sunt rogo, præter onoi?

LXXIII. De anno Reformato, & reformata Anglorum fide.

ANgla reformatum capiat quem Roma dat, annum:
Roma reformatam quam tenet Angla fidem:
Vtraq; sic cedat: Christi & coalescet in vnum
Caula, reformatus totus & orbis erit.

LXXIIII. Aliud.

ANnum laudo novum: verùm ô vtinamq; reforment,
Vt prius hunc animum, postea sic animum.

Ali-

LXXV. Aliter.

Esto, reformastis meritò anni tempora: verùm
Non annum, ast animum vos renovare velim.

LXXVI. M. Alexandri Bodij, Epit.

Scriba Heroinûm Naso: rescripserat illis
Responsa Heroum qui iacet hîc, Bodius.
Quantum Heroinis Heroum est gloria maior:
Nasonis Bodij gloria maior erit.

LXXVII. In Cornutum.

Thaida duxisses, dûxti Cornute, Dianam:
Non mirum: Actæon scilicet esse cupis.

LXXVIII. Ad Academiam Edinburgenam.

Optima Pieridum fautrix, & forma sororum,
Æternùm claros quæ paritura sophos:

O Schola, quæ noſtræ formatrix ſumma iuventæ,
Vnde magiſterij candida dona mei:
Quâ dignam te voce feram? vix ipſus Apollo
Te poterit meritis commemorare modis.

LXXIX. Emblema de vitro Venetiano.

VItrea iam mittit ſerpens ex ore, falerni
Spumantem cyathum: quis fugere inde velit?
Omnia ſerpentum non ſunt lethalia tela:
Hæc non fert lethum; fert tibi lætitiam.

LXXX. In R. Dallingtonium Carolo Principi â privat. Cubic, &c.

SI Muſæ multis vellent ſe exponere linguis;
Eligerent linguam, credo, Dalingtoniam.

LXXXI. Ad eundem.

ITala lingua tibi eſt, lingua eſt tibi Gallica, Græca;
Scis quid & Hiſpanum, quid Latiumq; ſonet:

Sic

Sic patriæ forsan poteris dediscere linguam:
At patrios mores, cor, animumq; nequis.

LXXXII. Ad Musculum Theolog.

MVsculus es fateor: capiti nam ritè reflectis
Mystica tu Christo Muscule, membra suo.

LXXXIII. In Laicum Decimatorem.

TOnsor novellus omnium ad domus vadit,
Decimas petens exactione crudeli:
Nec pauperi quàm diviti magis parcit;
Sed iste tonsor non oves suas tondet:
Non tondet inquam: quid rogo facit? radit.

LXXXIIII. D. Humei, Dumbari Comitis, Epitaph.

GEnte illustri ortus; fidus, regi intimus, osus
A populo, gratus, sed benè præsulibus:

Iust

Iustitiæ vindex: gemina illi gnata superstes:
Atq́ Humeus fuerat qui modò, nunc humus est.

LXXXV. In Fanniam.

NOmen, non verbum est, inflecti Fannia possit,
Sed coniugari non potest.

LXXXVI. De Academia Glascovienſi.

ANglis Oxoniæ certat Cant'brigia, Scotis
Certant Andreæ Glasconiæq́ Scholæ:
Glasgoa quod par sit, non audeo dicere: verùm
Florere Aonias hîc quoq́ dico deas.

LXXXVII. In quendam Paecham.

QVàm benè se Chami dicit de nomine Paecham!
Hic patriæ patrem risit, vt ille patrem.

LXXXVIII. Ad Zoilum.

ZOile, tune audes etiam mordere Poetas?
Nam tu Rhetoricus diceris esse, canis.

LXXXIX. De morte contemnendâ, ad Religiosum.

Quid mortem timeas, cùm sit privatio vitæ
Mors nisi nuda tuæ, prætereaq; nihil?
Syllaba vix illa est, nedum vt sit dictio, tollas
Si modò vocalem quæ sibi sola, suam.
Quam licet, & linquas, quando halitus vltimus exit;
O nisi tunc tantùm quòd verearis, erit.

XC. Mors & orbis.

Morti linque orbem, morienti tollitur orbis:
Orbem tolle orbi, nil quoq; & orbis erit:
Mors sine & orbe nihil, moriens ne cogitet orbem:
Sic mors nil illi, nil erit orbis ei.

XCI. Aliud: mors & orbis. Ad eundem.

Si mors, siq; orbis deponant gramma caninum:
Quid facias? mos est, relligiosus obis.

Mo

XCII. M. Mouræ â Mochrom, Epitaph.

Moura Equitis proles, Equitis lectiſſima coniux,
Finiit vt vitæ ter tria luſtra ſuæ:
Perſolvit tandem ſeris ſua debita fatis;
Nempe animum cœlo, mortua membra ſolo.

XCIII. Ad Bibonem.

Verba duo Hebraè cùm nôſti, Hebræus haberi
Vis Bibo: quin ſic eſt, Ebrius eſto, licet.

XCIIII. Ad Hoſpitem.

Eia age, quiſquis ades longinquis hoſpes ab oris,
Quid maria & terras tot penetraſſe iuvat?
Namq; agros, regna, & populos, vrbeſq;, domuſq;,
Hæc etiam poteris cuncta videre domi:
Quid lucri ex tanto, ſed ſi vis ſcire, labore?
Fit via longa tibi, fit tibi vita brevis.

XCV. Ad CAROLVM Principem.

Dîs genite, & geniture Deos, si Delphica rupes
Vera sonat: magni mitis imago patris:
Cùm tua sint omni maiora Encomia voce:
Sit sentire satis, dicere quæ nequeo.

XCVI. In I. T. Poetam aqueum.

DVm Vates aqueus fugit Permessidos vndam:
Spongia num tantum pressa, remittit aquæ?

XCVII. Ad Langum.

QVa factus ratione sit Poeta
Nunquam Carmina quem dolûsse constat?
Hoc dicat tibi Lange, prædicator,
Qui nunquam tamen ipse prædicavit.

Ad

XCVIII. Ad Stoicum barbatum.

INter cur armenta locum primum accipit Hircus?
Barbam nimirum Stoice, ſolus habet.

XCIX. Ad quendam.

CEdere ſi memini, tu te mihi dicis, & ipſe
Cedere non aliter, me quoq; dico tibi:
Te tu me dicis, me te dico eſſe minorem:
Vt mihi tu maior; ſic tibi maior ego:
Me dico eſſe nihil, tu te nihil eſſe fateris;
Si ſumus ambo nihil, tunc ſumus ambo pares.

C. Ad Lectorem criticum.

ME, mea quòd nimiùm brevia hæc Epigrammata, (carpis:
At tu nulla facis: ſunt breviora tua.

Finis Centuriæ quartæ.

EPIGRAMMATON

Centuria V.

I. Ad CAROLVM Principem.

CArole, quis dignum digno te Carmine laudet?
Nam minor est meritis laus vel & ipsa tuis.

II. Ad eundem.

AGesilao si fides debet dari,
Loco locatus præbet omnem gloriam:
Sic celse Princeps, carminum nullum genus
Quo continere, gloriam tibi addere

Potes

Poteſt: at ipſe gloriam das omnibus,
Verſus ineptos reddis aptos & bonos,
Minuſq; gratis gratiam communicas.

III. Lex Salica.

GAllorum regni hæredes eſſe impedit Anglos
Salica Lex, ſua dum Lilia nere negat:
At ſi non lex eſt, lacus eſt quoq; Salicus Anglis,
Cuius (vt in fatis) obliteretur aquis.

III I. Ad Gallum, de eadem.

DIc mihi fœmineum cur non ſuccedere ſexum
Salica lex regno vult tua Galle, tuo?
Te virgo Aureliæ docuit quid fœmina poſſit,
Cum valida hoc regnum rurſus ab hoſte rapit.
Virginis hæredem non te pudet eſſe: ſed hæres
Te pudet vt regni ſit quoq; virgo, viri.

V. De sexu fœmineo.

VIncere fœmineum, simul & sibi flectere sexum,
Res est, nec facilis: nec quoq; tuta nimis;
Nil non Alcides vicit: sed gloria victi
Huic minor Antæi, quàm fuit Antiopes.

VI. Ad Lectorem.

HOs lege quaeso meos, hoc est, intellige versus;
Est aliter legere, nil nisi negligere.

VII. Ad Andræam Dumcanum Theol.

NOn dubito, dum cana *tibi est prudentia rerum,*
Dum *tibi* canus *amor,* dum *tibi* cana *fides;*
Dum *scriptis pariter sacris, pariterq; profanis*
Canus *es,* & cano canus *es eloquio,*
Dumq; omni demum canus *virtute senescas:*
Semper Dum-canus *quin mihi totus eris.*

A

VIII. Ad Hiſpanum.

QVin Hiſpane, caves temerè hoc ne fregeris ovum?
Vix tutum eſt, hoſtis ſi tibi Gallus ineſt.

IX. Ad ANNAM Reginam.

EDita ſceptrigerûm generoſo è ſanguine regum,
Regina ô noſtri gloria celſa ſoli;
Quid mirum eſt ſi tanta tibi eſt ſapientia cordi!
Nimirum es Sophiæ dia propago tuæ.

X. Ad Carolum Howardum Angliæ D. Thalaſſiarcham, &c.

PRo meritis generoſe, tuis ſi carmina ferres,
Eſſent Phœbæis anteferenda modis:
Ingenium excellens, mens magna, & neſcia vinci
Pectora: divino numine corda calent,
In te Mæonius verè deſcripſit Vlyſſem;
Palladaq́, & fidi munera Peristhoi.

In

XI. In Franciſcum Rablæum.

NEve Anabaptiſta eſt, neve eſt Papiſta Rablæus,
Neve reformatæ relligionis homo:
Ergò quam ſequitur ſectam, ſi fortè requiris:
Nullius aut ſectæ eſt, aut Atheiſta fuit.

XII. Ad Comœdum.

SCis dubito (totidem mutas cum veſte colores)
Comœdus an Chamæleon.

XIII. Ad Cordolium.

Cùm cor Cordole, te iubes vocari:
Dic, eſt hic rogo, nonne ſummus error?
Tu ſi Cordolus ante dictus eſſes:
Hac dolus ratione diceris.

XIIII. Ad pauperem datorem.

QViſquis is es qui das opulento munera, dicis:
Quod tibi iam dederam, bis mihi redde meum.

In

XV. In Marsum.

Marsus habet Decimas, fateor: sed plurima debet;
Quando persolvit, Marsus habet Decimas.

XVI. Iulij Cæsaris & Gregorij Papæ annus.

Cæsar Gregoriusq; annum dum iure reformant,
Deformant regni res sine iure, sui:
Scilicet antiqui facies à Cæsare regni
Versa est, à Papâ pristina relligio:
Malo reformari civilem à Cæsare flammam,
Malo reformatam Gregorijq; fidem.

XVII. Ad Brissonem.

Promptius enumerem quot volvant æquora fluctus:
Quàm possem laudes dicere, Brisso tuas:
Hæne quòd innumeræ tibi sunt? quin fallere prorsus:
Est quia tu nullas quæ numerentur, habes.

In

XVIII. In Virronem.

INquinat vſq; adeò mentem tibi bruta libido,
Vah! tibi iam Virro, vix licet eſſe viro.

XIX. In eundem.

VIrro tuus frater panem de farre canino,
Ad te ſi nullus venerit hoſpes, edit:
Ipſe autem niveâ molliq; ſiligine factum
Semper edis, cùm vel ſolus es hoſpitio:
Poſſit at vt ſimilem frater quoq; mandere panem,
Ad te Virro, domum plurimus hoſpes eat.

XX. In Cottam.

TV mihi laudari te dicis ab omnibus vnum,
Nec quis te laudet dicere Cotta, potes.
Quin ſic laudari tibi ſi ſit ab omnibus, æquè
Vellem, vt qui laudet te, tibi nemo foret.

XXI. Ænigma de vero.

Dic mihi quod ſit opus, cui quò ſtudioſius inſtas,
Ad finem tantò pertrahis vſq; minus?

XXII. Ad Henricum Spelmannum Equitem.

STrenue Pegaſidum fautor Spelmanne ſororum:
Et ſemper Clario ſuſpiciende deo:
Seu facias verſus, veterum ſeu geſta revolvas,
Ornatè ſcribas, iuraq; ſancta ſcias,
Nemo te ſuperat, nemo precedit: at omnes,
Quòd nec & hoc iactes, tu ſuperare ſoles.

XXIII. In Plutium.

QVòd nullum laudarè putat ſe, Plutius errat,
Illius laudes namq; Apuleius habet.

In

XXIII. In Andragoram.

ANdragoras omnes ad pugnam provocat, aureis
Audet & an mihi quis vellere, torvus, ait?
Nec curat tegere, aut instanti arcere periclo:
Qua causa est? aureis non habet Andragoras.

XXV. Ad librum suum.

NE vereare liber, si sit tibi nullus amicus;
Si tua culpa mea est, est tua causa mea.

XXVI. Ad Poetam aulicum.

MIraris dominos Poeta, solos,
Nec laudas nisi maximos Monarchas:
Ne temnas, rogo, me licet minorem:
O quantùm cupio tibi placere!

XXVII. Ad Iacobum Maxvelum antiquitatis ſtudioſum.

MVſarum ſtudijs ſic tu Maxvele, ſeneſcis;
Vt prorſus ſtudijs immoriare tuis:
Hâc nouus at poteris ratione reſurgere Phœnix:
Nimirum his ſtudijs eſt tibi vita, mori.

XXVIII. In Pontinianum quendam.

SI quis is eſt in quo rabioſa ſuperbia regnat,
Aut inconſtantem quem leuis aura mouet:
Si quis auaritiam corrupto in pectore turpem
Ardet, & obſtrictam ſcit violare fidem:
Deniq; ſi quis is eſt quem ſacræ odere Camœnæ,
Vnus pro cunctis Pontinianus erit.

XXIX. In Oecolampadium.

ESſe, haud eſt mirum tantam hac in lampade lucem:
Ipſo οἰκῳ lampas quando ſit illa Διος.

Ad

XXX. Ad Iacobum Marchionem Hamiltoniæ,&c.

REgis nomen habes terræ immortale Britannæ:
Quin etiam ingenium tu quoq; regis habes:
Indidit hoc nomen Rex: quin tibi nomine tanto
Dignum est ingenium, nomen vt ingenio.
Sic magno est metata animo tibi machina magni
Corporis, Æacides alter vt esse queas.

XXXI. Henrici Valliæ Principis, Epit.

CVr tam maturo est Henricus funere pressus?
Adcœlum citius vt raperetur, erat.

XXXII. Ad Iacobum Hamiltonium, Abercorniæ Comitem,&c.

VNde ego te laudem? nunquid de gente vetusta?
Hac vix in totâ clarior orbe nitet.
Quin ipse ingenio & propriis virtutibus ipsam
Æquiparas gentem: vincere nemo potest.

Ham

Hanc etenim si vis, si posset vincere virtus:
Vinci à se, & sese vincere sola potest.

XXXIII. Ad Andræam Boidum Iacobo regi à Poculis.

GEns tibi magna quidem est, quâ & neve potentior
Nulla magis dives, nec magis vlla vetus: (vlla,
Sed monstras quàm gens, quòd mens tibi propria maior;
Quòd gens non potuit, mens tua Boide, potest.

XXXIIII. In quendam.

ANostrâ quidam laudatus fortè Camœná,
Dissimulat, tanquam nil mihi debuerit.

XXXV. In Glaucam.

DIcit capillos esse quos habet suos,
Verumq; dicit: quos habet, namq; emerat.

XXXVI. In Gutturnionem.

NAsum rubentem in quo Cometæ Bacchici
Clarè micantes eminus torquent faces,
Os grande, latamq; aurium compaginem,
Gulamque qualem vix velit Philoxenus,
Extentam & alvum tres pedes pinguedine,
Et crura, tibiasq; habet Gutturnio
Ingentia: an non est vir ille amplissimus?

XXXVII. Ad quendam.

NOnè Scripturis quæris præcepta salutis:
Verùm è picturis, est tua tota salus.

XXXVIII. In Danæum.

SI Phrygibus quæ Troia fuit, sit Roma Latinis;
Non deerit Danaus, quiq; Danæus erit.

XXXIX. Ad CAROLVM Principem.

CArole, quo quicquam nil vſquam celſius orbis
Excepto ſolo Cæſare noſter habet,
Quis ferat anguſto quòd te fero carmine? carmen
Anguſtum anguſtum nam facis eſſe meum.

XL. Ad Quintiam.

QVid tibi reddat amans, hoc ſi vis diſcere, dicam:
Hos tibi reddit amans, Quintia, te quod amet.

XLI. Ad Alexandrum Cœtonem, Comitem â Dumferlin, & magnum Scotiæ Cancellarium, &c.

DVlcis amor Muſæ, doctorum fama virorum,
Pacis honos, patriæ deliciumque tuæ es:
Publica privatis præponis commoda rebus,
Elatoſq; domas, innocuoſque levas,

Virtutum vt terras habitet, si quando caterua,
Cœtonis in κοίτῃ tunc recubare velit.

XLII. Ad eundem, aliter.

SIt, quas quaſcunq; domus habitet rariſſima virtus;
Qui dabis hunc κοίτην vndiq;, Cœton eris.

XLIII. In Avarum.

DIc, nam ſcire velim, cur tu dicaris avarus?
Te, quòd aves aurum, ſic an Avare, vocas?

XLIIII. De Vxore.

NIl curo hanc loquitur quæ græcè, quæque latinè,
Cui ſermo gallus, ſermo ſit Italicus:
Vni non amo tot linguas: mihi namque videtur,
Lingua quòd vxori ſit vel & vna, nimis.

XLV. In Tobacco niſtam.

PVlvis & vmbra ſumus, *dicebat Horatius olim:*
At tu nunc dicis, fumus, & ignis ego.

XLVI. In Virronium.

QVi bibat ex vitro tecum Virronius vno?
Non ſinit ex vno fundere vina cado.
Vis dicam, cur hoc faciat Virronius iſte?
Nempe tibi miſtum dat; bibit ipſe merum.

XLVII. Ad Poetas veteres.

MOyſes Muſa poteſt dici, montanus Aaron,
Velmons: Hebræis ſi modò danda fides:
Huc igitur Vates & furta agnoſcite veſtra,
Fabellis tegitis qui ſacra dicta Dei:
Hunc vobis Pindum ſcripturæ pagina ſanctæ
Præbuit: aſt illum præbuit Vranien.

XLVIII. Ad Gavinum fratrem.

FRater avi, proaviq; tui quòd Episcopus ambo,
Nominibusque pares, ambo Gavinus erant:
Cur doctus non es, cur sum nec egòve, Gavinus?
Forsitan & nostrûm præsul vterque foret.

XLIX. Ad Zoilum.

LÆdis, & laceras bonos Poetas,
Et tollis stolidus, malos cachinnos
Si te prêndero Zoile, tacebis.

L. De Furibus.

FVribus abscindi malè quis persuaserit aureis?
Haud istà fures parte nocere solent.
Nam quid committunt? nil horum surripit auris;
Si quid vis furi scindere, scinde manus.

LI. Ad Cornutulum.

ESse Iovi similem, te vis Cornutule, verum est:
Huic dedit Europe cornua, sponsa tibi.

LII. In Oliphum.

DOrso, nec premitur, gestat quam vendidit Arcem
Oliphus: an non est Oliphus hic, Elephas?

LIII. In Curionem.

ESse oneri servos queritur male Curio, servos
Nempe suos dorso gestitat ipse suo.

LIIII. Aviæ suæ Ionetæ Mouræ Epitaph.

TEr nupta, hæredes agris tribus una, reliqui,
Nevarco, Barro, Balduniaque domo:
Moura Rovallandes equitis filia Boidæ,

Quam Boidæa domus progeneravit, eram.
Cùm feci hæredes heroo sanguine cretos,
Hæres sum regni posteà facta Dei.

LV. In Reverendum quendam nomine, magistellum.

BEllê habet hunc saltem Reverendi nomine dici,
Nam reverendi in se nil nisi nomen habet.
At si fortè suis nomen vult reddere rebus,
Irreverendus erit, qui Reverendus erat.

LVI. In Bassum Cauponem.

BAsse, bibis vappam, validissima cœcuba vendis;
Hoc bibere est alijs, vendere Basse, tibi.

LVII. Ad D. Philippum Monæ Episcop.

ESt regnis Mona parva tribus ceu immoble centrum;
Hinc Angli, hinc circum Scoti, & Ierna iacent;

Hoc

Hoc tu cum ſedeas centro digniſſime præſul:
Suſpiciant titulos hæc tria regna tuos.

LVIII. Ad Ioannem De-Mirandum Thalaſſiocritam Rupel. &c.

QVanta tibi gravitas, tibi quanta peritia rerum,
Quàm firmum ingenium, iudiciumque ſimul;
Concipere haudquaquam, nedum tibi dicere novi:
Supra conceptus ſunt tua dona meos;
Quin De-Mirandi *ſint* demiranda *neceſſe eſt;*
Mirâclum ſecli, ſicne eris ergo tui?

LIX. Ad Henricum Reginaldum de Bathſua filia ſua doctiſſima.

TAm Bathſua facit verſus Reginalde, diſertos
Illa tua, vt decimam crediderim eſſe Deam:
Quàm te fœlicem fœlici hac prole putârim,
Non niſi Dij *ſoleant cùm generare, Deas!*

Ad

LX. Ad quendam.

QVòd multos habeas libros, vis doctus haberi:
Sic etiam est doctus Bibliopola; sapis?

LXI. Cornuti Horoscopus.

COr Virgo, Cancerq; caput, vel deniq; Taurus,
Aut Aries frontem, vel Capricornus habet.

LXII. In Davidem Origanum Astrolog.

HVnc ego non miror stellarum noscere causas,
Et posse æthereas enumerare domos:
Scilicet ex stellis ipse est; nec denique refert
Sive illum Origanum dicis, an Erigonen.

LXIII. In Gretzerum, & Baronium.

GRunnit Gretzerus, barritque Baronius: est hic
Magnum animal, soboles iste suita, suis.

Ad

LXIIII. Ad Fulconem Gravelum Equitem Iacobo regi, â Secretiore Consilio, &c.

GRavele Aonidum decus immortale Sororum;
Quàm benè cognomen, quàm benè nomen habes:
Dicere Gravelus, placidum quòd gratia velum,
Quo super astra voles, det tibi quando velis:
Es Fulco, cœli namq; Atlas fulcit vt astra,
Astræam patrij fulcis & ipse soli.

LXV. De Seipso, Ad divitem avarum.

NE quæras quis sim? sed quid sim quære? sed inquis,
Pauper es; & quid tu? dico tibi, puer es;
Sum quòd ego non esse potes, licet omnia vendas:
Tu quòd es, è populo quilibet esse potest.

LXVI. Constantia fœminæ.

FŒmina, concedo, est constans: nam fœmina solâ est
Constans in inconstantiâ.

Ad

LXVII. Ad Cornutulum.

Dic cuius generis quati Cornutule, sint ne,
Masculei, neutri, fœmineine tui?
Masculei non sunt, nam vix benè masculus ipse est
Non sunt fœminei: fœmina nam nec eris
Esse autem neutri nequeunt: quid denique restat?
Vel sunt communis, vel dubij generis.

LXVIII. In eundem.

Sic es Cornutus, vix vt tibi dicere possim:
Sint crines, an sint cornua plura tibi.

LXIX. Canis Venaticus.

Me melius nemo leporem capit alter, & hoc est;
Cùm lepus in lance est, nemo capit melius.

LXX. In Ebriosum.

Te quem nunc adeo delectat adire tabernam,
Tandem ad Tiburnum *forsan & ire, potes.*

Ad

LXXI. Ad Mathæum Crafurdum.

Quòd Crafurde tui ſocius quandoq́ cubilis
Iam valet & vivit, ſit memor atq́ tui;
Hi tibi teſtentur verſus, teſtentur & inte
Pallada cum Muſis conduplicaſſe manus.

LXXII. In Inconſtantem.

Hiſpano ſimilis pars eſt: pars altera Gallo:
Te mihi dic vnum, quis putet eſſe virum?

LXXIII. Ad Rufum.

Vt doctus ſic dignus homo vis Rufe, videri:
Sed qui doctus homo eſt, iã prope nullus homo eſt.

LXXIIII. De magna Britannia, ad IACOBVM Regem.

Ex Fortunatis cur vna hæc Inſula dici
Non debet, fœlix inſula cùm fuerit?

Albi-

Albion est fateor: sed & Olbion illa vocetur:
Fœlicis fœlix Principis imperium est.

LXXV. Ad Robertum Careium Equitem Carolo Principi, ab intimis Cubiculis, &c.

Fortibus atq; bonis forteq; boniq; creantur,
Nec Iovis imbellem procreat ales avem:
Nec Careie, tibi si summa modestia stirpem
Dissimulare velit, dissimulare potest:
Nam mores, nam mens regalibus inclyta donis,
Stant contra, & dicunt regis hic est animus.

LXXVI. In Oloſericum.

VT Lunæ similis fias Oloserice, mutas
Vnoquoque tua hæc serica mense, refers:
Es Lunæ similis fateor. Vis noscere quare?
Non quòd sic mutes serica: sed cerebrum.

In

LXXVII. In Tobacconistam.

Nil nisi quòd sacco est immissum emittere possis:
De te fumoso quid nisi fumus erit?

LXXVIII. Ad I. Nicolaum medicum, & Theolog.

INterpres Nicolae Dei doctissime, verbi,
Et pariter medici lux redivivа chori:
Euge novis semper titulis, vulgiq́ per ora
Sic volites: sic te fama per astra ferat.
Corpora sunt medicis curæ solummodo: sed tu
Vt mentis, sic & corporis es medicus.

LXXIX. Ad Thaumantiam.

QVid refert quantùm pingas Thaumantia frontem?
Nam quæ sis nasus prædicat iste tuus:
Tu potes fícto formam variare colore:
At nimium nasum non variare potes.

In

In

LXXX. In Nanum.

QVo brevior, terræ eſt proprior: cùm decidit ergo,
Eſſe brevem prodeſt, vix habet vnde cadat.

LXXXI. In Catum.

VNum Catus habet vitium: vis noſcere quod ſit?
Hoc eſt, omnino quod nihil ille valet.

LXXXII. De Amore.

QVem non vincit amor? aut quem non vincere geſtit?
Non tantùm hic homines, vicit at ille deos;
Armatæ haud poterant Mavortem vincere turmæ:
Illum ſed potuit vincere nuda Venus:
Ipſe ipſum Alciden vel aperto vincere bello
Neſſus non potuit: Deianira poteſt.

LXXXIII. Ad Iacob. Creittonem Sanchariæ dom. &c.

VIr bonus eſt ſi res ſic rara, vt neſciat eſſe,
Vir melior quàm tunc rarior eſſe ſolet?
Omne autem rarum Carum; *ſed rarior ipſe es:*
O igitur Creittõn, quàm mihi charus eris!

LXXXIIII. Aliud ad eundem.

SIc bonus es, ſic es placidus, ſic gratus amicis,
Vt dubium Creittõn, charior an ſueris.

LXXXV. Coniugium triplex.

DIves, anus, iuveniſque tribus nupſere maritis.
Hæc, opus, hæc ob opem, tertia propter opes.

LXXXVI. Ad Thomam Carum â Zair.

*DImidius ſum Care tui Dum*barus: *at ipſe es*
Totus (quod plus eſt) tu mihi, Care, meus:

LXXX. In Nanum.

QVo brevior, terræ eſt proprior: cùm decidit ergo,
Eſſe brevem prodeſt, vix habet vnde cadat.

LXXXI. In Catum.

VNum Catus habet vitium: vis noſcere quod ſit?
Hoc eſt, omnino quod nihil ille valet.

LXXXII. De Amore.

QVem non vincit amor? aut quem non vincere geſtit?
Non tantùm hic homines, vicit at ille deos;
Armatæ haud poterant Mavortem vincere turmæ:
Illum ſed potuit vincere nuda Venus:
Ipſe ipſum Alciden vel aperto vincere bello
Neſſus non potuit: Deianira poteſt.

LXXXIII. Ad Iacob. Creittonem Sancharię dom. &c.

VIr bonus est si res sic rara, vt nesciat esse,
Vir melior quàm tunc rarior esse solet?
Omne autem rarum Carum; *sed rarior ipse es:*
O igitur Creittơn, quàm mihi charus eris!

LXXXIIII. Aliud ad eundem.

SIc bonus es, sic es placidus, sic gratus amicis,
Vt dubium Creittơn, charior an fueris.

LXXXV. Coniugium triplex.

DIves, anus, iuvenisque tribus nupsere maritis,
Hæc, opus, hæc ob opem, tertia propter opes.

LXXXVI. Ad Thomam Carum â Zair.

*DImidius sum Care tui Dum*barus: *at ipse es*
Totus (quod plus est) tu mihi, Care, meus:

Sed quoque dimidius ne ſim tibi, dura repugnat
Littera: mî Carus *tu, tibi* Barus *ego;*
Ergo in amore tibi vt ſim par, hanc deniq́ muto:
Dum-Carus Caro *ſic tibi ſemper, ero.*

LXXXVII. Ad Ponticum.

TErq́ quaterq́ tibi ſis ſalvus Pontice, dixi;
Nil ais, & non vis. Pontice, diſpereas.

LXXXVIII. Expoſtulatio cum Baronio.

Bar-*on*-i-*os*: I-*oan*. *Dun*-bar.

ERgone tu noſtri finem cognominis audes,
Nominis & primum ſumere gramma mei?
I. *mihi redde meum,* bar *noſtrum redde* Bar-*oni*:
Atq́ ita tu quid eris dic, niſi verus ὄνος?

LXXXIX. Ad D. Columberium Theol. Rup

DOctrina an fuerit tibi, vel facundia maior,
Docte Columberi, res dubitanda mihi:

Alter es auriſono nam tu Chryſoſtomus ore:
Socratis & genium cognitione ſapis:
Doctrinæ tamen illa tuæ facundia cedat:
Mirandum hæc populo te facit, illa polo.

XC. Ad Bibliopolam.

VT benè me vendas tantùm tibi nolo placere;
Vnica libertas nam mea chara mihi eſt:
Vt mihi ſed placeas, placidè tibi conſulo, vendas
Non me, ſed librum Bibliopola, meum.

XCI. Ad eundem.

PAuli hos meos ad Cœmiterium *libros*
Te ferre prorſus nolo: non ſunt mortui.

XCII. De malo Poeta.

NEmo adeò malus eſt, rudis, indoctuſque Poeta,
Cui ſua non nimiùm Muſa placere ſolet:
Aut cui non ſordent aliorum Carmina: quamvis

Sint ea Phœbais anteferenda modis :
Corvo ſordet olor nimirum, boſq́ ſupinus
Vt vitulos, verſus ſic amat ille ſuos.

XCIII. Ad CAROLVM Principem.

CArole ſemideûm ſoboles, ſpes magna parentum,
Cui vix in laudes totus Apollo ſat eſt.
Oro, licet modicas, noſtras ne temne Camœnas:
Sæpe iuvant magnos munera parva Deos.

XCIIII. Ad Fredericum Principem Palatin. Rheni, &c.

ILla tua decora alta domus, præclaraq́ regum
Nomina quis numeret quæ Frederice, tibi?
Nimirum regale tibi longo ordine ſtemma
Magnus Gallorum Carolus ipſe dedit.
Vt tibi dat virtus, olli vt ſuccedere ſanguis,
Succedat meritis ſors quoq́ & ipſa, tuis.

XCV. De muliere.

NVlla bona est mulier: quòd si bona posslt haberi,
Hoc fieri dicam quâ ratione potest:
Est vx hominimulier, quod si tu vertis in eo!
Quæ fuerat mulier, *sic tibi erit* melior.

XCVI. Ad avarum.

LAudari tantùm vis quando es mortuus, inquis:
Quàm cupio laudes dicere avare, tuas!

XCVII. In vulgus nobilium.

QVod liberales rarò iam sint nobiles
Non miror: horum namque vel pauciſſimi
Iam sunt magiſtri liberalium artium.

XCVIII. Aliter.

DIciſſe ſeptem liberales plurimi
Artes profeſſi: ſed benè vnam vix ſciunt.

XCIX. In Mœchum.

Mœchus ait, tantùm res est puerilis habere
Vxorem alterius, quodq; ea culpa levis:
Si puerum nasci puerile est, nescio; novi
Sed non est facit hoc qui puerile, puer.

C. In Scribam glorioſum.

Qvi nuper patrem ſolitus ſignare papyrum,
Pallia getulo murice tincta gerit:
Comam lana tegit ſuras, femoralia Seres,
Et dederant tunicæ mollia fila ſuæ:
Cætera quid referam? ſolitus nam vt dicere Bias,
Mecum qua mea ſunt omnia porto, poteſt.

Finis Centuriæ quintæ.

EPIGRAMMATON

Centuria VI.

I. Ad CAROLVM Principem.

DEdico vota Deo, tibi Carole dedico versus:
Det Deus vt Musæ sit tibi cura meæ.

II. Ad eundem.

COntendunt pietas, probitas, sapientia, virtus,
Inter quæ primum debet habere locum:
Hæc clarum, facit illa deo te Carole, charum,

Te facit ista probum te facit ista pium:
Macte age! quæ victrix? nulla; à te scilicet illa
Quæ vicit, dono vincitur ipsa suo.

III. Ad Lectorem.

NEc lege quæ iubeo, nec quæ te iusserit alter:
Sed lege quæ genio sunt magè grata, tuo.

IIII. In Leonem eius nominis, Pontificem.

NOn ego quòd dici voluisti bestia, miror:
Miror quòd dici vis Leo, cùm Lupus es.

V. Ad Cyclicum.

IVcundus, probus, innocens, amicus:
Linguâ doctus vtraq; Cyclice: vnum est,
Sed magnum vitium quòd es Poeta.

VI. In Tobaccum.

QVòd fumo facias potos, an dicere petun?
Quin ego te potum *reclinis ergo vocem.*

Do-Bacco *potum dicis, quando ebrius ille est:*
Sic fumus fumo pellitur iste tuo.

VII. In avarum divitem.

QVamvis expresse nobis sacra pagina dicat,
Quòd melius semper sit dare quàm capere:
Quòd capere est melius dives contendit avarus,
Nec tantùm ille capit: sed capit atq; rapit:
At dare si nil vult, capere & vult omnia, tandem
Quin laqueum collo sic capiat q; suo.

VIII. De Coniugio.

NOn amo coniugium hoc vbi non communia vtriq;
Sunt bona: nam si vir dixerit, hæc mea sunt,
Vxor, & hæc mea sunt: poterunt & dicere forsan,
Et puer hic meus est, illa puella mea.

IX. De Tobacco.

QVòd vino madidis detur Tobacco, vocari
Do-Baccho *cur non rectius ille solet?*

Ad

X. Ad Andræam Ædium Philosoph.

Seu sis Aἰδιος, seu denique diceris Aὐιδως,
Conveniet meritis nomen utrumq; tuis.
Hinc honor est: illinc post omnia secula vives:
Ambo cape, aternus sic tibi crescat honos.

XI. Avari invitatio.

Me solum invitat, quoties invitat avarus:
Invitat quoties solus & ipse domi est:
At quoties multos ad cœnam invitat amicos,
Nunquam ego sum tantas iussus adire dapes:
Cur facit hoc quæris? quia sum benè cognitus illi;
Malim ego sed cœnæ cognitus esse suæ.

XII. Ad Patricium Hannæum.

Quisnam Hannæe, tibi veteri prosternmate certet,
Gente à Romulidum gens tua quando venit?
Annæi emicuere duo, vatesque, Sophusque;
His etiam Hannæus tertius esse potes.

Ad

XIII. Ad Zoilum.

VIrtutem non taxo tuam, vis noscere quare?
Est quoniam virtus est tibi nulla: sapis?

XIIII. Ad obtrectatorem.

CVr Obtrectator mea sic Epigrammata torques?
Cur laceras vultu singula ridiculo?
Hic malè stat versus: minus est vox illa latina,
Hoc ais, est durum, vel nimis improprium:
Ne vel & vnus apex te præterit: omnia carpis;
Scilicet haud nôsti quæ bona, quæve mala.

XV. In Gloriosum de famâ suâ.

QVòd facilè hæc tua fama queat super astra volare
Credo, nam levis est, nec grave pondus habet.

XVI. Ad Gaurum.

QVâ sic incedis, quâ pes tibi pelle superbit;
Olim erat hæc pellis fœtida Gaure, bovis.

Mi-

Miror ego qualis feriat tibi pectora fastus.
Cùm me sic clauso vertice pratereas.
Quin videas quid agas: veterem nec temne sodalem;
In non est alia bos nisi pelle suâ.

XXVII. Ad Archibaldum fratrem.

Hic mundus quàm sit nôsti Archibalde, malignus,
Pro se quisq; facit singula, nemo suis;
Nunquam erat, aut nunc est fratrum quoq; gratia rara;
Gratia non rara est, sed tua chara mihi.

XVIII. Ad mulierem quandam.

Vendere si non vis carnem, tunc claude Macellum
O mulier; mammas scilicet abde tuas.

XIX. Henrici magni Galliarum regis Epitaph. prosop.

Exiguo natus regno, regna ampla reliqui,
Et si vixissem, qua magis ampla forem.

Inscr-

Insidiæ vetuere minas: nam Martius ensis
Non potuit, non me tollere aperta manus.
Visa vt ad extremum perducta potentia culmen,
Tum sensi insidias insidiose, tuas.

XX. Ad ANNAM Reginam.

PRogenies generosa Iovis, sis regia coniux
Anna alijs: Regi es, sed Διὸς, Anna tuo.

XXI. Ad Gualterum Stuartum Regi Iacobo ab interiori cubiculo, &c.

NObilibus prognate viris, cui numine fausto
Virtuti eximiæ splendida fama nitet:
Macte, viam ingrederis, video, per quam itur ad astra:
Succedant meritis, ô mea vota tuis!
Steuarti vt proprium primi est pro nomine nomen:
Illius in sortem sic tibi, & omen eat.

XXII. De Poeta, ad Oratorem.

DIcis Poetam furere, concedo, furit,
Nempe in Prosodiâ: tu at in Prosâ furis.

Ad

XXIII. Ad Lividum.

Disticha quòd mihi sint Epigrammata Livide, videt,
Et dicis nimiùm quòd puerile sonent:
Disticha sunt fateor: non sunt tamen illa Catonis:
Ne timeas, mores non ego carpo tuos.

XXIIII. Ad Guilielmum Alexandrum à Menstry, Equitem, &c.

Tres quondam tragicos iactârat Graecia vates,
Æschinem, Sophoclem, Misogenemq; suum.
Sed quamvis unum iam magna Britannia vatem
Iactet Alexandrum te, tribus hisce parem:
Sed nec & esse parem tantùm, sed & esse priorem
Te, si non annis, dixerit esse animis.

XXV. In Aulicum.

Invidiâ nemo sine nascitur Aulice, dicis:
Invidiam mavis, quàm miserere mei.

XXVI. Ad Io. Moylum Armig.

Desinat esse Maro qui tam sese esse Marorem
Iactitat, & nomen nesciat ille suum:
Vel Maro si vult esse Maro, tantùm ille Latinus
Sit Maro: nunc Anglus qui Maro, Moylus eris.

XXVII. In Claudum.

Rex licet ad Claudum mittat, vix ille veniret:
Quò veniat? pedibus nam caret ille suis.

XXVIII. Ad Robertum Falcnarum à Bellandro.

Falcnare delicium Bellonæ, & fulgor Enyus,
Es triplex circa qui grave pectus habes;
Cùm robur, falcemq; sonent, simul & Agna
Hæc tua quæ tibi sunt nomina magna tibi:
Bellacem te nemo neget: sed gloria summa est
Hæc tua: cùm miles sis, pia corda geras.

Ad

XXIX. Ad Convivam.

Affert ad mensam nobis ancilla placentam;
Inse quæ cervi pinguia crura tenet.
Tu conviva mihi cur affert conjice; tantùm
Affert ad mensam, rursus vt inde ferat.

XXX. Ioannis Duglasij Poetæ Epit.

QVi primus nostris animos in carmina Musis
Addidit, & sacras tangere iussit aquas,
Gloria Pieridum, iacet hâc Duglasius vrnâ,
Et eor, & nostræ corpus amicitiæ:
Hos ego, cui versus, & debita iusta repono,
Æterna officij ceu monumenta mei.

XXXI. In Glaucam.

GLauca tuos dulci crines dum spargis odore,
Hoc non immeritò, tu mihi crede facis;

No

Non illi sunt Glauca, tui, tu calva: sed empti,
Suspensa aut crines, aut meretricis erant.

XXXII. De vita coniugali.

DE Coniugatis multa multi disputant,
Pluresq; plura sentiunt:
Mihi at videtur optimum connubium
Vbi maritus imperat.

XXXIII. In Bibonem.

NVnquam te potasse foras tu dicis, & hoc est,
Non potas quoties te Bibo, nemo vocat.

XXXIIII. In Mœchum.

COninge cum socij cubat, & communia dicit,
Quòd sint amicorum omnia.

XXXV. Ad Cacozelum.

Quis rogo tam ſtultus, quis tamq; erit ille ſupinus,
Myſtam qui poſſit te Cacozele, pati?
Te ne aliquis craſſâ clamantem voce cathedrâ
Suſtinet, aut quæ non ſcis Cacozele, loqui?
Si toga, ſi decimæ, faciunt ſi munera Myſtam:
Vt tu, ſic myſtes Mulio & eſſe poteſt.

XXXVI. In quendam.

Doctus es: at poteris tamen hoc fortaſſe negare:
Sis ergo indoctus; nonne negare potes?

XXXVII. Ad Marianum.

Si tibi dona darem, de divite ditior eſſes:
Nil tibi do; dives, nam Mariane ſat es.

In

XXXVIII. In quendam.

Doctus, nobilis es; disertuluſq́: Eſto nobiliorque, doctiorque, Et diſertior: at quid eſt hoc ad me?

XXXIX. Gavini Dunbari, Archibaldi avi ſui fratris, Epitaph.

Præceptor, Præſulq́, & Cancellarius idem, Regis, Glaſgowæ, qui patriæq́ meæ: Auxi, alui, iuvi, ſortem, pia pectora, regnum, Ingenio, ſacris, conſilioq́ bono: Tutus, amans, orans, inopes, doctoſq́, deumq́, Luſtra decem vixi, florui, & interij.

XL. Academia Aberdonienſis à Proavi ſui fratre Gavino Epiſcopo ibidem condita.

Iam quòd Aberdonie doctis Academia Muſis Floreat, & celſum tollat in aſtra caput:

Vt labor ille fui, nunc sit laus ista Gavini:
Hic posuit tantæ prima elementa scholæ.

XLI. Eiusdem Gavini Pons Donæ.

Circa Aberdoniam tumidis Dona labitur undis,
Turgidus, & nullis trajeiendus equis:
Hnic pontem hic Præsul fecit cum condere; nunquid
Ostendit verum se fore Pontificem?

XLII. Aliud.

Pons Caij quondam: sed nunc pons ille Gavini,
Sit celeber famâ tempus in omne, suâ.

XLIII. Ad Iacobum Adamsonum Theologum, â Pennigam.

Oblitum me fortè tui, sacra munera mentis,
Adamsone, tuæ posse silere putes?
Doctus es & prudens, Christi fidusq; minister:
Hoc ego si sileam, fama silere nequit.

Ro-

XLIIII. Roberti Rolloci Theologi Edenburgeni mors.

Rolloci æthereas emigratura per auras,
Cùm foret ad ſummum mens pia, pura, polum:
Mens mea perfer adhuc te cœco hoc carcere claudi;
Exibis iam iam libera: carpe gradum;
Dixit: & erumpens totâ compage ſolutâ
Corporis exanimi, mox videt ora Dei.

XLV. Nuptiæ noſtri ſeculi.

Propter opem quondã eſt homini data fœmina: nunc eſt
Non data propter opem: ſed data propter opes:
Propter opes, vel propter opus iam ducitur vxor;
Pulchra vt propter opus: peſſima propter opes.

XLVI. Ad Homerum.

Olim ευκνημιδας qui dixti ſemper Αχαιους
Anglos iam tales dicere iure, potes.

XLVII. In Mævium.

NOn mutat anno vestem in integro suam:
Si causa quæ sit quæritis?
Est vestis una scilicet solummodo,
Et singularis Mævio.

XLVIII. De seipso.

QVid mihi iam prodest, quamvis ab vtroque parente
Stirpibus innumeris, nobile stemma traho?
Et pater, & mater claro mihi sanguine creti,
Sic horum matres, sic etiamque patres:
Sic etiam affines, demum & genus omne meorum:
Vates inter eas, nil nisi pauper ego.

XLIX. Ad Dominam Annam Gorgeam, &c.

ESt tibi rara fides, pietas, prudentia, candor,
Et forma, & formæ gratia iuncta suæ;

Inte vna virtus omnis ſic vna vireſcit:
Vt dubium ſit ne hæc, ſit ne vel illa prior.

L. Ad eandem.

MEns tua, ſit ne manus melior, vix dicere poſſum:
Mens tua multiſcia eſt, eſt medicina manus.

LI. Ad Ricardum Carum ab Antonye.

SEu placet hiſtoricos, imitari, aut arte Poetas,
Aut legum obſcuros enucleare locos:
Omnibus excellis: dubito ſin Liviius alter,
Sin Maro, ſin alter Papinianus eris:
Sed cùm & multiplici linguâ præcellis, & alter
Sic etiam Carus Scalliger eſſe, potes.

LII. Ad eundem.

NOn miror, ſi nomen habes Care inclyte, Cari:
Rara etenim quæ ſunt omnia, Cara vocant.

LIII. Ad W. Ogstonn, Al. Vodnei Pyladem.

ESse Anagramma tuo cùm te vult Ουδενι Γνωστον,
Vt Pylades socio dicitur esse suo:
Quam bene sic vivis! nam qui non cognitus vlli,
Ille latet: latitat qui benè, vivit item.

LIIII. In quendam cuius nominis Anagramma est, *vilis notus.*

NOn opus est ponam chartis tibi nomen apertis,
Nimirum es vilis notus *vbiq; capis?*

LV. Ad Fanniam.

EMpta tibi est facies, empti sunt Fannia dentes:
Emistin' linguam? non; satis huius habes.

Ad

LVI. Ad Georgium Sibaldum.

Sive velis Græce, seu te sermone Latino;
Aut tua Iudæis promere sensa somis:
Pandere res sacras, magnive Machaonis artem,
Aut vetera è priscis prodere gesta libris,
Nemo est cui cedas: potius quàm cesseris vlli,
Cedant cuncta vni docte Sibalde, tibi.

LVII. Thesei & Perithoi amicitia.

Ille sui Theseus nigrum properavit ad orcum,
Perithoi fidam propter amicitiam:
Prisca ætas vnum tantùm nisi Thesea vidit:
Nostra vident multos secula Perithoos.

LVIII. Ad IACOBVM Regem.

Petri alios, alios Pauli delectet imago:
Præ cunctis vnam rex amo magne, tuam.

Ad

LIX. Ad Robertum Carum ab Ancrum, Equitem Carolo Principi, à Cubiculis int. &c.

SI regem sit amare suum, si regis honorem,
Si patriam, & prolem regis amare sui,
Maxima sit virtus; virtus tua maxima certè est,
Maxima si sit laus, maxima laus & erit:
Maxima sed virtus illa est, laus maxima & illa:
Concludat laudes Lividus ipse tuas.

LX. Ad eundem.

IN te non res est à nomine: nomen at à re:
Namq; rei nomen das bene Care, suum;
Non ideo es Carus *quòd sic sis nomine:* Cari
Sed quòd re Carus, nobile nomen habes.

LXI. De Franciſco Drako.

SI custodîsset quæ ad nos tulit aurea, posset
Hesperidum, Drakus alter & esse Draco.

Hen-

LXII. Henrici magni regis Galliarum mors. Prosopopœa.

QVam nostro expulcram gens Loiolitica regno
Cùm fuit assensu pòst revotata meo:
Cor in amicitiam conata est flectere frustrà
Sæpè meum, & nimiùm rursus habere studet.
Vivi non potuit: petiyt cor ergo perempti;
Et iam quod toties sæva petivit, habet.

LXIII. Eiusdem, In Iesuitas Flexiæ, quibus regis cor ad sepeliendum datum est.

FLexia, iam quamvis totâ quod mente petisti
Cor nostrum in te sit, flectere non poteris:
Non habuisti etenim vivum: sed lumine cassum
Tu licet illud habes, non tamen illud habes.

Ad

LXIIII. Ad Gamalielem, & Iohannem De-mirandum, fratres.

MActe animi iuvenes Musis melioribus aucti,
Curriteq́, vt facitis, nobile patris iter.
Illum sancta Themis; Phœbo sacraq́, sorores,
Cum pietate fides, puraq́, vita iuvant.
Artibus his summum meruit sibi culmen honorum:
His vobis patrius sit repetendus honos.

LXV. Ad Ploutam viduam.

HVnc quem divitiæ faciunt tibi Plouta, maritum,
Esse vnquam captum credis amore tui?
Aurum amat ille tuum: nummos & prædia, non te,
Si dives fueris: cuilibet vxor eris.

LXVI. Ad Petrum Auratum, alias Goldman, Doct. med.

AVrea iam tandem redierunt secula terris:
Aurea non alios secla dedere, viros.

Ad

LXVII. Ad Thomam Dempſterum, à Mureſk, &c.

HIſtoricus, vates, orator, vt omnibus vnus
Dempſterus eſt: ſic eſt omnibus eximius.
Livius eſt tantùm niſi Livius, & Maro tantùm
Eſt Maro; ſic Cicero nil quoq; quàm Cicero:
Dempſterus at tantùm non Dempſterus eſt: ſed in vno
Vnus hic eſt Cicero, Livius, atq; Maro.

LXVIII. Ad Lectorem Criticum.

HÆc mea quàm dicis, mala ſunt Epigrãmata: quid
Tu bonus: in libris non eris ergo meis. (ni?

LXIX. Ad Thom: Diccium.

PAſtor es, & pictor Dicci, doctuſq; Poeta:
Sic eſt Virgilius paſtor, arator, eques;
Vati cedat eques, & arator cedat Apelli;
Paſtor paſtori cedat, & ille tibi:

Ille

Ille dedit brutis ovibus nisi pabula: sed tu
Christi pascis oves: ergone maior eris?

LXX. Ad Ioannem Cameronum.

OS licet ille Dei fuerit Theophrastus: at illum
Esse peregrinum balba notavit anus.
Gallica Calliope vix te Camerone, notaret:
Quin sic ipsorum viceris ora Deûm.

LXXI. In Cerdum Mercatorem.

Cùm sint à pretio pretiosa, atq́; omnia, Cerde,
Pro pretio vendas, es pretiosus homo.

LXXII. Ad Ioannem Gordonum Sarisburiæ Decanum, Hebraicè doctissimum, &c.

LIngua tibi nato deerat Gordone, sed Hermes
Ut vidit, linguam tradidit ipse suam.

Divi-

Divinâ haud igitur mirum est te voce profari:
Nam quæ lingua tibi, lingua erat illa Dei.

LXXIII. Ad Amatorem.

Alas gestat amor binas; hâc aufugit, illa
Te sequitur, semper sic cruciaris amans:
Non redamaris amans, spernens sed amaris, amantem:
Quid facias? ne tu tunc vt ameris, ames.

LXXIIII. Ad Th. Farnabium.

Nil sine luce liber: sine libro lux quoq; nihil est.
Luxq; libro vivit, luce liberq; viget.
Nec Seneca aut sine te, sine te nec vivit Aquinas:
Ambobus per te vita, vigorq; redit.
Per quem ergo tanti authores, viuuntq;, vigentq;,
Æternùm hinc author maxime, vive, vige.

LXXV. In furem.

Littera Pythagoræ furi placet vncа: verum est;
Sic etiam furi furca placere potest.

In

XLVI. In quendam, à Sanchar.

VNo oculo expressa est sapientia: sicque Cyclopas
Vnoculos vatum pagina docta facit:
Factus erat Sanchar Cyclops: pars maxima verò
Suspendi potius vult modò quàm sapere.

LXXVII. Lycambis Palinodia.

ARchilocho quondam fregit promissa Lycambes:
Pœnas perfidiæ sic dedit ille suæ:
At nunc Archilochus fregit promissa Lycambi:
Num meritò pœnas det violata fides?
Carmen Iambæum fuit olim criminis vltor:
Iamne Lycambeum criminis vltor erit?

LXXVIII. Ad Alexandrum fratrem.

QVod validus gestas iuvenili in corpore robur,
Quæq; etiam in gremio pectora fida tuo:

Fallor

Fallor Alexander, facient te hoc nomine dignum:
Aut vatum est tantùm fabula vana, fides.

LXXIX. Socrates, & pauper.

HOc, Socrates, vnum scio quòd nil scio,
Hoc vnum ego sic habeo: nimirum, nihil,

LXXX. Ad Georgium Thompsonum Theolog.

SI memor es Thompsone, tuum nec spernis amicum,
Miratur gemy qui monumenta tui,
Ille ego sum, tua qui toties his auribus hausi,
E Cathedrâ Hyblais verba referta favis:
Scotus es: at Gallo sic es sermone profatus:
Vt Gallus Gallum, te putet esse suum.

LXXXI. De Antichristo.

CAusam scire velim, quare Lupus iste vocetur,
In medio quando cornua fronte gerat?

Cornua nulla lupo: lupus est non deniq; tantùm:
Verùm & monstrosus, sic erit ille lupus.

LXXXII. Ad Henricum Charterum, Academiæ Edinburgenæ Gymnasiarcham.

CHartere, Castalidum custos, siquando voceris,
Cùmq; sit in cerebro, Gracia tota tuo:
Quicquid Arabs, quicquid dixit Iudæus Apella,
Et quicquid servi, pòst docuere Dei:
Quàm bevè conveniet tantis pro dotibus, vt sis
Edinburgenæ Gymnasiarcha Scholæ!

LXXXIII. In Suffumum.

DVlcis Alexandro Suffumus distat odore;
Intus Alexander dictus olere benè:
Quin extra Suffumus olet benè, fœtet at intus:
Illum, qui dubitas, iunctiùs olfacias.

In

LXXXIIII. In Solanionem.

IN te dum ſererem ſummas Solanio laudes
Bruma erat; hinc madidis ver quoq; venit equis.
Venit & hinc æſtas: autumnus denique venit:
Venit at ex noſtro nulla labore, ſeges.
Nec frigus læſit, pluvia abluit, aut calor vſſit
Semina. Proh! ſterili ſunt ne ea iacta ſolo?

LXXXV. Ad Davidem Dromondum.

QVi Dromondc tribus dictum de montibus inquit
Eſſe tuum nomen, fallitur haud dubiè;
Nimirum duplici Parnaſſi à vertice venit:
Hinc eſt quod tantus eſſe Poeta ſoles.

LXXXVI. In Parergum.

NOn Peripatetes, noſter vult eſſe Parergus:
Ille magis ſemper namque ſedere cupit:

Neve etiam Samius: carnes amat, esse nec optat
Stoicus; & vitium nam putat esse bonum:
Esse igitur quis vult? Cynicus vult esse Parergus;
Cur? novit caudam rite movere suam.

LXXXVII. Ad Lectorem de libro suo.

NEc meus est nimius, seraque coronide longus
Hic liber: haud Marci certat Amazonidi:
Ille decem tantùm decies Epigrammata claudit,
Ad summum tria quæ Disticha vix superant.

LXXXVIII. De Henrico, & Carolo Principe.

OCcidit Henricus, nostro iam fulget in orbẽ:
Carolus, ô nullas sentiat ille vices!

LXXXIX. Crumena ad Dominum suum.

CVr suspensa ego sim? nil sum furata Crumena:
Sed tanquam Sartor quæ data, servo mihi;

Velle

Velle mihi auriculas si vis me hæc reddere: nam me
Suspendis quoties, tu nihil accipies.

XC. Ad Cl. Camdenum, de sua Britannia.

OMnia dum parvi regna, & loca clauseris orbis
In libro hoc: dubitem quem capis ipse locum:
Quodq; omnem, & nullum capias, vix dico: sed illud
Quod cnpiat nullus te, bene dico, locus.
Nimirum, te quem magnus nec & orbis, & æther
Vix capit, an parvus orbis hic excipiat?

XCI. Aliud, ad eundem.

ORbis, dum facis vt parvus noteſcat: & orbem
Per magnum ipſe facis, tu quoq; notus eas.

XCII. In Briſſonem.

DIcebat olim magnus ille vaſconum,
Poeta nullus *quod fuit* Britto bonus;

Dialecto at illum puto locutum hîc atticâ ;
Vt γλωττα pro γλωσσα ſolet cum dicier :
Verè at velimus ſi loqui, & communiter;
Tum diceremus, nullus eſt Briſſo bonus.

XCIII. Puritanus ad Papam.

CArnea cùm tibi ſit tua victima, cùmque cruenta:
Non ego te Papam, te voco Papa, Popam.

XCIIII. Cauſaboni manes, ad Iacobum Regem.

PRo donis Rex magne tuis quæ digna rependam?
Qui haud potui vivus, mortuus haud potero:
Me patrio è regno nempe ad tua regna vocâſti,
Auctor opum nobis, author honoris eras.
O produxiſſem noſtrum tibi maxime, penſum:
Vt produxiſti tu tua penſa mihi!

XCV. In Marianum.

Qvare non tibi credo peieranti:
Testanti & toties polum solumq́,
Miraris Mariane, magna causa est:
Mendacissimus omnium es virorum.

XCVI. In Pictorem Christi Prosopopœa.

STulte, quid affectas toties mihi pingere corpus?
Cur toties fuco fœdor inique, tuo?
Cernere si me vis, cor altùm ad sydera tolle,
Et si vis similem pingere, pinge deum.

XCVII. In Bombum oloſericum.

SI vermes fuerint homines, vt Biblia dicunt;
Tunc mihi tu Bombus, serica vermis eris.

XCVIII. In eundem, aliter,

SI vermes cinereſq́ sumus, bombycina vermis,
Tuque Tobaccæus tunc potes esse cinis:

Scilicet, vt bombyx involvere, flamma tobacci,
Ignivomoq; tuo fumus ab ore fluit.

XCIX. In fœminam, quòd ei naturâ debeatur ſupremus locus.

NAturâ quando tendant levia omnia ſurſum:
Sic tibi ſupremum fœmina ſume, locum.

C. In Momum,

OMnia cùm noſtri mala ſint tibi Carmina libri:
Hîc etiam finis ſit tibi Mome, malus.

Finis Centuriæ ſextæ.

I. D. M.

EPIGRAMMATON Decades, VI.

Ad Nobiliſsimum, nobiliſ. ordinis aureę periſcelidis *Equitem*, *D.* GEORGIVM VILLIARS, IACOBO *Regi, ab intimis Cubiculis, & magiſtrum Equitum, &c.*

EPIGRAMMATON Decas, I.

I. Ad Georgium Villiars, equitem, &c.

INclyte, nobilium & claro ſate ſanguine patrum,
Cui pariter virtus famaque iuncta nitent:
Quæ pauca aſpirant noſtra hîc tibi flamina Muſæ,
O, precor hæc velis ſint bene grata tuis;

II. Ad eundem.

LAudentur qui laude egeant; ſatis hoc tibi laudis,
Quòd te pro meritis Rex Iacobus *amet,*

In

III. In Scioppium.

ESse asinos omnes cùm vis, sic nonne Scioppi,
Teque asinum, & Papam vis Parasite, tuum?

IIII. In Iesuitas.

IEsuitas vos metipsos dicitis:
Sed Loiolitas vos decet vocarier,
Nam non Iesus vos dedit, sed Loiola.

V. In eosdem.

IEsuitas haud ego vos dixerim:
Iebusitas rectius vocaverim:
Iesuitæ sed tamen si dicier
Desideretis: vos ita dicamini,
Iesuitæ quò quòd estis vos magis
A Christo Iesu itis *remoti eò magis;*
An scire vultis quò? malam magnam in crucem.

VI. In Thom. Coriatum, ab Odcombia.

FAre, age, dic hospes totum famose per orbem,
Qui sit, sic cunctis vndique notus eas?
Pelle ovis est; sit notus onos *ex auribus, anser*
Ex strepitu, ex corio, tu Coriate, tuo.

VII. Ad Stephanum Baldwinum Rupellanum, I.C.

VT locus est doctis, sic est Baldwine, modestis,
Atq; erit in libris tempus in omne, meis:
Tu Themidos cùm sis artes edoctus ad vnguem,
Te beet & pleno docta Minerva sinu,
Doctrinaq; tua veneranda modestia certet,
Inte peccarem nî memorare velim.

VIII. In Pentaleonta, de vita Th. Bezæ.

PVtride Pentaleon, Papalis scurra culinæ,
Gutture cui fœdo dogmata falsa crepant;

Quid

Quid tibi cum Bezæ est homo mendacissime, vitâ?
Non est Romanæ bestia Beza Scholæ.

IX. De Constantia fœminæ, ad Lectorem.

COgito quid quæris, quando nil cogito? nempe
De fœminæ constantiâ.

X. Cur Beda dictus venerabilis.

NOn divi aut sancti titulo; venerabilis olim
Nomine, sed dictus, Beda Britannus erat:
Quo Sancti, Insani, quo Divi Dæmones ævo
Dici cœperunt, scilicet ille fuit.

Finis Decadis primæ.

DECAS. II.

I. Ad IACOBVM Regem.

BEl, Babel, Babylon periit, cecidítque, ruítque,
A Daniele, Deo, Marte Iacobe, tuo.

II. Ad eundem.

MArte triumphatis horrendo Roma, Britannis
Cæſaris inuicti iactitet arma ſui:
Arte triumphandâ iam magna Britannia, Româ
Ferte ad ſydereas, Rex Iacobe, domos:
Cuius maior honos? tuus eſt, an Cæſaris? ille
Armatus, ſed tu victor, inermis eris.

III. Ad Georgium. Villars equitem, &c.

QVi fuit Auguſto Mæcenas, ipſe & idem
Cùm iam ſis domino vir generoſe tuo:
Aſta, inſta, perſta: fœlicibus vtere fatis:
Te Maro fautorem ſic habeat ſuum.

In

IIII. In fugitivum.

Dvm fugitive fugis, vicinas curris ad ædes:
Dic mihi quis furor est, ne capiare, capi?

V. Ad Laberium.

Libros scribere posse te disertos
Affirmas Laberi: quid ergo non vis?
Libros scribere qui potest disertos,
Non dicat Laberi; putabo posse.

VI. Ad Viretum.

Dic, nam scire velim cur tu dicare Viretus?
Hincne est quòd vireas semper in ore virûm?

VII. Ad Petrum Martyrem.

Martyres â clarâ meruerunt morte vocari:
Te verò vt Maryr sis, tua vita facit.

Ad

VIII. De Cane ab Anna Regina fortuitò interempta, pro Cervâ.

Quod telum in cervam Dia-Anna *volatile misit;*
Hoc, cervam vt sequitur, concidit icta canis,
Quis fleat? hæc illi deceptæ gloria dextræ
Maior: credo canem sic voluisse mori.

IX. Ad Petrum Molynæum D. Theol. Parisijs.

Doctrinæ Molynæe decus, facundior alter
Quo non, quà Galli sceptra verenda virent:
Sic hostes Christi imminuis, tundis, teris, occas,
Vt iam sis molitor, qui Molynæus eras.

X. Ad eundem.

Hæc mola seiungit puram de farre farinam;
Nempe reformatam, Papicolûmq; fidem.

Finis Decadis secundæ.

to good and honest men it is much more to be wished to die honestly then to live wickedly or filthily



[illegible] bo/ [illegible]			
[illegible] in all			382 - 10

C. 39. b. 57.

Epigrammaton 2 Vol.

IOANNIS DVNBARI 32

Megalo-Britanni CENTVRIÆ SEX, *Decades totidem*.

MARTIAL. lib. 7. Epig. Ad Lausum.

Triginta toto mala sunt Epigrammata libro:
Si totidem bona sunt, Lause, liber bonus est.

LONDINI,
Ex Typographeo Thomæ Purfootij. 1616.

32

MVSEVM
BRITAN
NICVM

SERENISSIMO, & potentiſsimo, IACOBO *Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hyberniæ Regi* &c. S. I. E. Æ.

QVum non niſi magna magnos deceant: mireris meritò, Sereniſsime Domine, quâ fronte ego minimus haſce ingenioli mei tricas tibi, non tantùm magno, ſed & maximo Monarchæ conſecrare audeam: ſed cùm ea ſit animi tui cœleſtis magnitu-

itudo, vt ne minimorum etiam ſedulitatẽ, tanquam alter Macedo dedigneris: ſed & pro conſuetudine tuâ in ſuo genere ſingula amplectaris: mihi nec & impræſentiarum hîc verendum eſſe confido: Imò nec diffido, quin hæ tibi placere poſſint, quæ ſacro ſanctæ tuæ Maieſtati conſecrantur, priores tres Epigrammatorum meorum Centuriæ, in quibus, ne tam frequentiores, quàm meritiſſimæ tuæ decantatæ laudes verecundiam tuam diuinâ defatigent citiùs, quàm me, vt officium eſt, ſatient; iocis quibuſdam, aliiſque paſſim intermiſtis ludere conatus ſum; eo autem temperamento, vt de illis queri nequeant quicunq; de ſe benè ſenſerint. Novi equidem, vt cum Pindaro, ſed latinè loquar, me opſonium inuidioſis dediſſe: verùm ſi te Iouem Britannicum ſereniori aurâ propitium inueniam, nil bronculorum hominum

naſu

nasutam illam moror proter viam: quin & si ea tua erga me fuerit solummodo mens, vt erga alios est mos, me ædepol, ad maiora provocabis. Habes hic præterea Panegyricum quem præfixum Serenissimæ simul Maiestati tuæ consecro, cui etiam nisi placeat non inficias eo quin perire debeat. Deus optimus maximus te regnis tuis, & reipublicæ Christianæ diutissimè incolumem servet. Aeternùm vale.

Sacratissimæ tuæ Maiestati

devotissimè subditus,

Io. Dun bar.

Anagrammata Regis, & Principis, *quæ latinè ita ſonant, Remedium vitæ,* & bene placens: Cor totus, &c.

ΙΑΚΩΒΟΣ
ΚΗΡΟΛΟΣ
} ΣΤΕΥΑΡΤΕΟΣ.

ΑΚΟΣ ΒΙΩ
ΚΗΡ ΟΛΟΣ,
} Τ' ΒΥΑΡΕΣΤΟΣ,

Ad Iacobum Regem.

VT Vitæ *es* medicina placens; *ſic uſq; revivat*
In corde, ô *gnati vivida* vita, *tui!*

AD IACOBVM magnę Britanniæ, &c. *Regem, Panegyricus.*

(Apollo

CVi Nymphæ nova plectra parant? cui præsés
Castalidumq; deus tantos cóvolvit honores?
Hîc laudes Rex magne tuas, sacrandaque seclis
Nomina, Mœonijs quæ vix memorãda Camœnis,
Pectine pierio, & ter centum ingentibus ausis
Mens avet, & toto vivum te involvere cœlo.
Vnde autem incipiam, quo sit mihi fine tacendũ,
Quæ medio dicenda loco, quis denique versus,
Ordo mei ponendus erit: quæ prima tuarum
Hîc surgat graviore tubâ suprà æthera laudum,
Totus ego dubito, sensusque abrumpor in omnes.
Scilicet, an potius prima hinc exordia sumam,

Quòd tibi tercentum vinclis constrictus ahenis,
Sub pedibus iaceat fremebundo pectore Mavors
Inque vicem Pax alma sacros turrita capillos,
Arte triumphantem meritis te immiscat astris?
An verô eximias dicam finxisse Camœnas,
In templis tibi corda suis? quòd maxima Pallas,
Et Charitum iucunda Trias frontemq;,animumq
Ornârint,geminas vel quòd Suadela mamillas
Lactandas olim dederint: quòd gutture in imo
Attica mellificârit apis: quòd sibila serpens
Poneret, arrectas tollens ad sydera cristas,
Mellitos vocum globulos dum audiret ab ore
Rex Iacobe tuo; verùm sunt hisce priora
Virtutum monumenta tibi, maioraque laudis
Argumenta tuæ; seu cellam à sanguine mentem
Seu magnũ memorare genus,quòdve ordine lõgo
Centum & sex numerâris avos in stẽmate,Reges,
Qui per tot palmas,redimitaque tempora lauris,
Sceptra invicta tibi dederant; sed & ista parentum
Gloria:maiorum laudes, sed in ordine laudum,(cel
Quæ tibi debentur minimas censemus; in illo
„ Parvus honos cuius virtus in origine solâ.
Nempe super titulis,& avito stemmate scandis
Dotibus ipse tuis animi,sic fulgure rerum
Præcellis, sic voce vales,sic mente triumphas:

nullos tibi si radios in origine splendor
obilitasque daret, generi celsissimus ipse,
se tuo lucem cum nobilitatis honore
æberes: tanta est quæ æternùm in pectore spirat
sa tuo virtus: qualem si pristina quondam
culá nouissent, Heroas Græcia nullos
ctâsset, nostras nunquam venisset ad aureis
acidæ immortale decus, non gloria Vlyssis;
omedontæum siluisset barbara germen
roia suum: nullos Alcmenæ excelsa labores
nsisset soboles: nec enim Saturnia Iuno,
ut angues misisset atrox, aut bellua Lernæ,
ertice centeno crebros crevisset ad ictus,
ripedem nunquam memorâssent Mænala cervâ,
Nobis nulla horum sparsisset pagina famam
erculis in laudes, tum si fortasse fuisses
terris Iacobe, tuus sed & Herculis iste
icisset clavam calamus, tuque vatis in ore
o cũctis Rex magne fores, ipso Hercule maior:
Scilicet Alciden solo pro robore rumor
stulit, & celsis morientem immiscuit astris:
Tu verò Fatorum expers, quo clarius vsquam
il prior, & præsens, nil posterа sentiet ætas,
m geminâ virtute cluis: nam in corpore vires
t sileam generosæ, tuas, & corda virili

Apta

Apta animo frontemq; gravẽ, vultumq; verend
Brachiaq; , & triplici vallatum robore pectus:
Quis dotes animi, mentisque arcana remittat?
Ingenij quis facta tui depingere versu,
Pierio se posse putet? describere vates
Munera Cecropiæ poterunt, citharamque Lyczi
Et virgâ Tegeææ tuâ: sacramq; iuventam (fluctu
Virginis Astrææ; verùm quot in æquore (aren
Quotq; habet astra Polus, quotq; aurifer Hebr
Promptiùs enumerent, celsâ quâm mentis in arc
Dicant magne, tuæ quæ dona inclusa recumban
Hinc pietas, hinc sancta fides, hinc gratia pur
Stat tibi fusa comas, placidoq; in pectore regna
Illinc relligionis amor, prudentia rerum,
Maiestasque sedent: simul est clementia dulci
Voce sonans: totam veneranda modestia sese
Exerit in faciem: ratio penetralia mentis
Quæ tenet, in medio virtutum excelsa refulget.
Qualis ab Oceano rutilâ dũ lampade Phœb
Surgit, & auroram roseis advectat habenis;
Igneus ille, micans nubes dissolvit opacas
Adventu propiore, poli dum extrema pererrat
Culmina: tum cessant tempestatesque sonoræ,
Et pluviæ, & venti: madidas in carcere pennas
Æolus exsiccat, nulloque exercita motu

rula pacantur: sic nec metuenda colonis
rua, nec ignavis vndarum iniuria nautis:
Haud aliter Rex magne, tuo quæ celsa cerebro,
onscia mens recti, rectâ ratione tumentes
ffectus in corde domat: iactantia primùm
edit iners: fugiunt iræ, non æqua recedit
sperias, simulac, & vana superbia torvos
ergit ad Hesperios, siculasque adnavigat oras
urpis avaritiæ fervor, neve audet ad aulam
ectoris accelerare tui: contraria virtus
on sinit; illa tuis sic insidet ima medullis,
ic altùm erexit circùm præcordia ramos,
t iam vitales rursum si carperet auras
ttalus, haud vllis tibi conditionibus vnquam
ertaret: licet hunc tantùm est mirata vetustas
lunificum, populos inter, gentemque Latinam,
t nunc ille hominum volitet redivivus in ore
nvitâ invidiâ, & tenebroso gurgite Lethes,
t longâ annorum serie: tu clarior illo
bis in exemplar, seclis venientibus olim
dmirande magis tantâ hac virtute, nec vlla
is fati poterit tam celsum extinguere nomen.
Sic vbi te seris dederit mea pagina seclis,
lara peregrinas imitandaque facta per oras
lla tua exponet, tali tum turba nepotum,

Te

Te ſuper inde frequens, tandē ſermone profe
O ſecli flos ille tui, vernantia in ævum
Cui folia, haud vllas timuerunt grandinis iras,
Non Boreæ rabiem, non formidanda Tonanti
Fulmina, Terrigenûmve minas, nō frigida bru
Signa, nec ardentes quos Sirius evomit æſtus?
Flos horti nitor ipſe tui: flos cuius odorem
Ambroſium, cuius ſpumantes nectare ſuccos,
Cuius inexhauſtum primâ à radice ſaporem
Senſerat, extremas qui terrarum incolit oras:
Vive diu, ſemper vernos induce colores,
Idaliâ depicte manu, flos gloria florum
Vive diu, & noſtrum vt novit tua nomina ſeclu
Secula cuncta tuas ſic diſcant dicere laudes.
Magnè Heros noſtris maior cōceptibus, hæc ſu
Hæc ſunt illa olim quæ de te ſera nepotum
Turba feret: tales noſtrâ memorante Camœnâ
Proferet illa ſonos, & tu per ſecula vives
Omnia, vel certè virtus niſi nomen inane eſt,
Seq; perire ſinet, nec erunt ſua præmia factis
Heroum, & nullis cælum decorabitur aſtris.
O me mole novâ tum vectum in ſydera vate
Hos ego dum titulos, tantarum & pondera rerū
Tam celſos virtutum apices, & culmina laudum
Expediam meliore ſono! ſi Thracius Orphe

Tu

nc mihi certaret, vel & ipſo iudice victum
erat: haud verſus (fateor) gravitate, Chelyſve
quio, (nam quis te Rex Iacobe, ſonaret
na, licet citharæ nervos pulſaret Apollo?)
gravitate rei: ſic nobis gloria lauri
ior erit: niſi me vano deluſerit ore
æbus, erit nobis Heros laus altior vnus
am cuncti Heroes, quos olim evexerat Argo
eicio vati; quanvis ratis inclyta cœlo
donata ſuo, rutilantes torqueat ignes.
quoq; fulgentes radios mutatus in aſtrum
mbra ſuum, cœli per templa ardentia volves;
t veluti audaces qui verrunt cœrula nautæ,
cte ſequi Cynoſura, tuam, quà vertere, caudam
n dubitant: Iacobe tuum ſic luce refulgens,
ublime caput toto ſimul orbe ſequetur
ſtera progenies: alios ſic annus honores
poſcet, cupientq; novos tua nomina menſes.
Iacobæus dicetur Iulius, & ſic
nova perpetuæ ſurges præconia famæ.
æ quid ego demens mediter, quæ noſtra cupido
(eſt,
tminibus numerare meis?
go ſat eſt voluiſſe: tibi ſi grata voluntas
ſtra erit in tenui, de te Rex magne, movebo
ſtmodo maius opus, ſi haud omnia dixero: ſalte

Plu-

Plura feram;maiora canam, graviore ſonabo
Pectine: ſive canam quoties Rex optime, regu
Te non nequicquam fatorum immobilis ordo,
Divinâ moderante manu,tot caſibus actum,
Ereptumque malis noſtro ſervaverit orbi:
Sive quòd optatas properantem in luminis aur
Et vel adhuc ſancto Naturæ in carcere clauſum
Seditioſa cohors Satanæ, te immanibus auſis
Tentârit,cupiens inſontem extinguere vitam,
Quove Bothallæos ſuperâris Marte furores,
Teve vt non cautum demens invaſerit hoſtis
Gowrius, vtque impar tecum congreſſus,arenâ
Stratus, & vt iuſtas dederit tibi ſanguine,pœna
Vtq; etiam (res mira,novis memorandaq;falli
Teq; tuoſq; omnes Satanæ maleſana propago
Pulvere ſulphureo conata eſt tollere fruſtrà,
Deniq; ſive canam ſub te modò Principe pac
Florere,& molles veluti turrita capillos,
Te colat alma Themis, merito & perfũdat hono
Atque ita conabor tanto me carmine tandem
Tollere humo,vulgiq; ſimul volitare per ora:
Qualis Idumæas qui dat tibi Mantua, palmas.
Sic ſi magne Heros,mihi te pro talibus auſis
Des Mæcenatem, noſces non deeſſe Marone

Canebat Maieſtat.veſt.hum. Servus,
I. D.

Horat. de arte Poetica.

rùm vbi plura nitent in Carmine, non ego paucis
ffendor maculis, quas aut incuria fudit,
ut humana parùm cavit natura.

quòd si in quibusdam aliqua, quæ in alijs exemplaribus nulla, quia inter imprimendum, vt plurimùm, correcta, errata Typographica occurrant, præcipua hæc sunt.

g. 16. Epig 55. lege dispeream. p. 55. Ep. 85. Bathsua. p. 57. 92. fœlicitas, p. 63. Ep. 12. Quod. p. 84. Ep. 78. pateat. 97. linea 9. tales. pag. 111. Ep. 34. Maerinum. p. 136. Ep. fis. pag. 173. Ep. 28. Æs.

Persius, Satyra I.

Quis leget hæc? min' tu istud ais? nemo hercule? nemo
Vel duo, vel nemo, &c. (mo

Ad Amicum Lectorem.

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala multa
Quæ legis: hic aliter non fit amice, liber.

Ad eundem.

Nil mea (ceu mos est) commendes Carmina, cure:
Se nisi commendent Carmina, dispereant.

EPIGRAMMATON, Centuria I.

I. Ad IACOBVM Regem.

Ex animis, tituliſq; ingens, qui Pallada Marti
Iungis, & imperio ſubdis vtrumque tuo:
Si tibi (ſi placeat) deuoti pectoris ignes
Excipe, ſinceri ſymbola ſeruitij;
Magnus Alexander *Samij teretiſmata cepit:*
Tu nec Alexandro *ſis mihi magne, minor.*

II. Ad ANNAM Reginam.

Tanta Annæ *eſt mentis, tanta eſt præſtãtia formæ:*
Vt dubium ex cœlo ſit ne, vel illa ſolo:
Sin Anna *ex Mannâ eſt, at Manna eſt cœlitus: Ergo*
Annam *quis nobis cœlitus eſſe neget?*

III. Epitaphium HENRICI Principis Walliæ.

ORbis amor, terrorque simul, terræque Britannæ
Maxima spes, patriæ deliciumque suæ,
Henricus Wallûm *Princeps, decor additus astris,*
Inter Semideos iam requiescit auos.
Nempe illo in terris cùm regna haud digna videret,
Rerum olli æternus dat sua regna Deus.

IIII. Ad CAROLVM Principem.

IAm tandem nostro Pollux *discessit ab orbe,*
Atque nouo Henricus *scilicet, orbe nitet:*
At pro fratre tuo iam orbatis luce Britannis,
Qui lucem hanc referas Carole, Castor *eris.*

V. Ad FREDERICVM Principem Palatin. Rh.

SElectam Elector sibi quando elegit Elisam:
Verè Electoris nomine dignus erat.

VI.

VI. Ad ELISHABETHAM eius Sponsam.

EL Deus est, ish vir, requiem Beth *deniq; donat:*
Hinc meritò Elisabeth *nobile nomen habet.*
Scilicet illa Deo est motore, & Principe primo,
Principis vna sui lausque, quiesque viri.

VII. Ad Lectorem.

HÆc Hilari mea frõte legas Epigrãmata Lector:
Est Momi *proprium triste supercilium.*

VIII. Ad *Luscum* Poetam.

VNo capte oculo vates mediocris, vtrumque
Excutias, Et sic alter Homerus eris.

IX. Ad Zoilum.

QVi versus lacerare meos te Zoile, *dicit,*
Fallitur; Hos vris Zoile, *non laceras.*

X. Ad Artium liberalium Magistros.

Dicisse septem liberales plenius
Artes Magistri, vos metipsos dicitis:
Sic credo: ubi est tunc vestra liberalitas?

XI. De Hastiludio in festo regali fictio.

Hastifrago in stadio, magna spectante Coronâ,
Gressus alternos Mars *glomerabat ovans:*
Iuno *videt, dicitque: sed hæc victoria nostra est,*
Et subitò in Martem *desuper atra ruit;*
Ille fugit, ridens & ait, me fœmina vicit:
Esto: sed non hæc seria pugna fuit.

XII. Palinodia.

IVno minabatur madidis descendere pennis,
Cùm subitò Martem *vidit, & extimuit.*

XIII. De Oratore & Poeta ad quendam.

ORator (verum eſt) ait inſanire Poetam:
Nam furit hic ſtricto, liber at ille pede:
Horum quem fugias igitur mage? nonne Poetam?
Non: ſtrictus poterit nil facere ille mali.
Imò oratorem fugias: demente ſoluto
Non peior demens ſcilicet eſſe ſolet.

XIIII. In medicum Empiricum.

EMpiricus nuper medicus de milite factus:
Quod miles fecit, iam facit & medicus.

XV. Ad IACOBVM Regem.

FOrtunis Rex magne meis prodeſſe, voluntas
Si tibi, tu poteris: nemo nocere poteſt.

Epitaph, Mariæ Scotorum reginæ.

GAllorum thalamo, Scotorum Maria natu
Regina, & regis filia, ſponſa fui:

Phœnicem Phœnix de me, tibi terra Britanna,
Suscito, qui solus regnet in orbe suo:
Nec patriæ hunc inter prognatum incendia, mirum est:
E flammis Phœnix surgere nempe solet.

XVII. Ad Cordum.

NOmine cor vnum, cor vnum in pectore gestas:
Cùm duo corda tibi, num bonus esse potes?

XVIII. De Epigrammate.

PErsimile est Epigramma cibo: namq; omnibus aq
Hic nec in ore sapit, hoc nec in aure sonat.

XIX. Ad Liuidum.

DIcis quòd mala sint quædã mihi carmina, sic est:
Nam mala sunt vbi, tu Liuide, nomen habes.

XX. A

XX. Ad nummi maiestatem, quam avari colunt.

Quæ mihi res tecum fallacis splendida nummi
Maiestas? aris an dabo vota tuis?
Dispereas potius: furerem qui sum mihi liber,
Seruorum seruo si tibi seruus ego.

XXI. De Pecunia.

CHremata me quondam meritò dixere Pelasgi,
His quia sæpe mei plurimus vsus erat:
Ergo cui clausâ semper conseruor in arcâ,
Immutet nomen, quòd mihi, fio, nihil.

XXII. In hypocritam.

IVras cum nebulonibus malignis,
Et mens est tibi qualis est & illis;
Quid vis me rogo, te esse suspicari?
Sanctum credere te virum volebam:
Sed rumor sonat esse te sceleſtum.

XXIII. In Episcopum quendam avarum.

VT tu es Prælatus, cur non & Episcope, præfers
Sic alios? inquis, præfero diuitias.

XXIIII. Ad Maritum quendam.

NOn mirum est si dura tibi: si curva sit vxor:
Osse est ex curuo fœmina facta viro.

XXV. Ad Patricium Maldum Iacobo regi à Cubiculis, Int. &c.

STemmatis antiqui soboles Malde *inclyte, ciuis,*
Aut melior quis te subditus alter erit?
Regis amans, patriæque tuæ, & popularis amicus:
Vnus es hoc, quod vix tres vel et esse solent.

XXVI. Ad Ponticum.

VEstem sæpe nouam quàm te delectat habere!
Non vestem: at vitam Pontice, sume nouam.

Ad

VII. Ad *Lancelotum Andræam* Episc. Elienſẽ.

Ancelotum *veteres veterem iactate Britanni,*
Arthuri veteris: bella, trophæa, decus:
noſtri Arthuri noſtrum iactamus in aſtra
ancelotum: *ob regem pugnat vterque ſuum.*
s noſtri at maior: nam hic in cæleſtibus, ille
ctor in humanis, fabula, hic: ille, fides.

XXVIII. In Bellarminum.

Vr Bellarminum *te* Bellarmine, *vocemus?*
Nempe Malarminum rectius eſſe putem.

XXIX. *De exequijs niuoſo die.*

ſe ſolent atri luctus: hæc candida lux eſt;
Lux hæc conueniens luctibus eſſe nequit.

XXX. Ad Cacozelum.

mper in ore tibi Deus eſt Cacozele: *ſed hoc eſt:*
Tantùm eſt, cùm iuras, ſemper in ore Deus.

XXXI. Ad Mulierem.

Vnc emere haud fas eſt, (eſt quadrageſima) carnes:
Quin Mulier mammas contegis ergo tuas?

De

XXXII. De Perſio.

SIbi negârat Perſius *Satyrâ in ſuâ*
Fibram fuiſſe Corneam: haud negauerat
Eſſet ſibi quin corneum tamen caput.

XXXIII. Ad Martem.

SEu ſis Græcus Ares, *ſeu ſis Mars magne, Latin*
Littera terrores auferet vna tuos:
Prima etenim Latio, tibi dempta penultima Græco
Si fuerit: Sic ars tu mihi mitis eris.

XXXIIII. Ad Lodovicum Stuartum Lenoxiæ Ducem, &c.

QVàm benè ſũma Ducis, ſũmi tibi nomina dan
Nam tibi ſunt ſummo munera digna duc
Enſem ſume, enſi cedat ſic Hectoris enſis,
Haſtam: ſic haſtæ Pelias haſta tuæ.
Mars ducibus dedit eſſe aliis: ſed Marte, ſed arte
Te natura dedit, Dux generoſe, ducem.

XXV. Ad Adamum regium, aliàs *King*.

luſtî nobis Catilina *eſt notus ab ore* :
Gowrius *at nobis notus ab ore tuo eſt* :
ſquis is eſt per quem noteſcit proditor; ille
Dignus vt æterno notus honore cluat.

XXXVI. Ad *Iohan. Ramiſeum Haddingtoniæ* Vicecomitem, &c.

Are, age! quis Deus eſt regum qui temperat aſtrũ
Vir generoſe tibi? Rex an et eſſe potes?
n. Sed in auxilium ſaltem ſic naſcere regum,
Nempe bonus genius regis vt eſſe queas.

XXXVII. Aliud ad eundem.

Ambo giganteinon fauſto ſydere fratres,
Dum Britonum Alcidẽ non ſine fraude petunt:
u licet addis opem: minor eius gloria non eſt:
Nam contra Alcides ne vel et ipſe duos.

Pan

XXXVIII. Pauli Apostoli conuersio.

INsanus dum Saulus *eras, inimicus, iniquus:*
Littera mutetur, Paulus amicus eris.

XXXIX. De Aulo Causidico ad ipsum.

QVi nunc Aulus eras, vna addita littera Paulum
Te facit, & nomen mutat, inique, tuum.
Nomine sic facile es iustus: sed grammata centum
Naturam haud poterunt vertere versa tibi.
Quin alia & poterit superaddita littera, Saulum
Te facere: at talis nil licet addis, eris.

XL. In Lesbiam.

NOn adamantis habet, nec enim redamauit amat
Lesbia, *sed duri cor Adamantis habet.*

XLI. In Brissonem.

NAtus erat Brisson *claro sub lumine Solis:*
Sic natum obscuro se negat esse loco.

XLII. Ad *Rober. Haym Ia.* Regi à Purpurâ, &c.

t in humano veneranda modeſtia vultu:
Illa quidem vultus poſſidet Haye, *tuos:*
nec apud regem eſt alter te humanior Hayo:
ayus *& humanus ſunt tibi prorſus idem.*

XLIII. In Aunum Chymicum.

On nego quin aurum potabile feceris, aurum
Potâſti totum ſcilicet Aune, tuum:
entum ſit qui faciant potabile, quidam
nt modò: ſunt potant qui quoq; quic quid habent.

XLIII. Reſp. Ad Melvini Flumen apud Superos, &c.

Ymba quidem ſuperis nulla eſt: ſunt flumina verò:
Nam fluere hinc viva commemorantur aqua:
ijcere hæc ſed nemo poteſt: namq; illa vadoſa
on ſunt: tunc ponte & pontifice hîc opus eſt:
apud Infernum cùm ſit ſua cymba Charonti,
Neve opus hîc ponte eſt, nec quoq; Pontifice.

Ali-

XLV. Aliud.

CVr non & ſuperis etiam ſua flumina dantur,
Cœleſtes fluere hinc quando ferantur aqu
Flumina ſi fuerint, pontes tunc eſſe iuuabit,
Si pontes, ſancti ſunt quoque Pontifices.

XLVI Cámera ſtellata Weſtminſte

SCire velim quare aſtrorum domus iſta vocetur,
Nonne quod Aſtræa ſint fora Inſtitiæ?

XLVII. Camera ardens Pariſijs, Ad Gymnicum Cauſidic.

Eſt domus hæc ardens nimiùm, & valde æſtuo di
Quin igitur cauſas Gymnice, nudus agis?

XLVIII. Paradoxon, non rarum caru

VIr bonus eſt rarus: tamen eſt nil v. ilius illo:
Virq; frequens malus eſt: charius hoc nihil

XLIX. In Causidicum quendam ciuilem.

Ciuilem vbiq; te vocas & prædicas
Causidicum: at omnes ciuitatis accolas
Ire lacessis: & necas iniurijs.
Cur nulla prorsus est tibi ciuilitas:
Causidicus ergo potius inciuilis es.

L. Ad CAROLVM Principem.

EXoptent alij pro carmine Principis aurum:
Auram non aurum Principis ipse peto.

LI. *Causaboni* Epitaph.

CAusabonum potuisse mori qui crederet, idem
Summa etiam credat Numina posse mori:
Numina posse mori neme est qui credat: an vllus
Causabonum *credat tunc potuisse mori?*
Causabonus *vel numen erat, vel numine plenus:*
Vel numen Phœbi nomen inane fuit.

In

Dialecto at illam puto locutum hîc attica;
Vt γλωττα *pro* γλωσσα *solet cùm dicier:*
Verè at velimus si loqui, & communiter;
Tum diceremus, nullus est Brisso bonus.

XCIII. Puritanus ad Papam.

CArnea cùm tibi sit tua victima, cùmque cruenta;
Non ego te Papam, te voco Papa, Popam.

XCIIIII. Causaboni manes, ad Iacobum Regem.

PRo donis Rex magne tuis quæ digna rependam?
Qui haud potui vivus, mortuus haud potero:
Me patrio è regno nempe ad tua regna vocâsti,
Auctor opum nobis, author honoris eras.
O produxissem nostrum tibi maxime, pensum:
Vt produxisti tu tua pensa mihi!

In-

XCV. In Marianum.

QVare non tibi credo peieranti:
Testanti & toties polum solumq́,
Miraris Mariane, magna causa est:
Mendacissimus omnium es virorum.

XCVI. In Pictorem Christi Prosopopœa.

STulte, quid affectas toties mihi pingere corpus?
Cur toties fuco fœdor inique, tuo?
Cernere si me vis, cor altùm ad sydera tolle,
Et si vis similem pingere, pinge deum.

XCVII. In Bombum olosericum.

SI vermes fuerint homines, vt Biblia dicunt;
Tunc mihi tu Bombus, serica vermis eris.

XCVIII. In eundem, aliter,

SI vermes cineresq́, sumus, bombycina vermis,
Tuque Tobaccæus tunc potes esse cinis:

Scilicet, vt bombyx involvere, flamma tobacci,
Ignivomoq; tuo fumus ab ore fluit.

XCIX. In fœminam, quòd ei naturâ debeatur supremus locus.

NAturâ quando tendant levia omnia sursum:
Sic tibi supremum fœmina sume, locum.

C. In Momum.

OMnia cùm nostri mala sint tibi Carmina libri:
Hîc etiam finis *sit tibi Mome, malus.*

Finis Centuriæ sextæ.

I. D. M.

EPIGRAMMATON Decades, VI.

Ad Nobilissimum, nobilis. ordinis aureę periscelidis Equitem, D. GEORGIVM VILLIARS, IACOBO Regi, ab intimis Cubiculis, & magistrum Equitum, &c.

EPIGRAMMATON Decas, I.

I. Ad Georgium Villars, equitem, &c.

INelyte, nobilium & claro ſate ſanguine patrum,
Cui pariter virtus famaque iuncta nitent:
Qua pauca aſpirant noſtræ hîc tibi flamina Muſæ,
O, precor hæc velis ſint bene grata tuis;

II. Ad eundem.

LAudentur qui laude egeant; ſatis hoc tibi laudis,
Quòd te promeritis Rex Iacobus amet,

In

III. In Scioppium.

Sse asinos omnes cùm vis, sic nomine Scioppi,
Teque asinum, & Papam vis Parasite, tuum?

IIII. In Iesuitas.

Iesuitas vos metipsos dicitis:
Sed Loiolitas vos decet vocarier,
Iam non Iesus vos dedit, sed Loiola.

V. In eosdem.

Iesuitas haud ego vos dixerim:
Iebusitas rectius vocaverim:
Iesuitæ sed tamen si dicier
Desideretis: vos ita dicamini,
Iesuitæ quò quòd estis vos magis
A Christo Iesu itis remoti eò magis;
Anscire vultis quòd malum magnam in crucem.

In

VI. In Thom. Coriatum, ab Odcombia.

FAre, age, dic hospes totum famose per orbem,
Quì sit, sic cunctis vndique notus eas?
Pelle ovis est; fit notus onos *ex auribus, anser*
Ex strepitu, ex corio, tu Coriate, tuo.

VII. Ad Stephanum Baldwinum Rupellanum, I.C.

VT locus est doctis, sic est Baldwine, modestis,
Atq́ erit in libris tempus in omne, meis:
Tu Themidos cùm sis artes edoctus ad vnguem,
Te beet & pleno docta Minerva sinu,
Doctrinaeq́ tuae veneranda modestia certet,
In te peccarem nî memorare velim.

VIII. In Pentaleonta, de vita Th. Bezæ.

PVtride Pentaleon, Papalis scurra culinae,
Gutture cui fœdo dogmata falsa crepant;

Quid

Quid tibi cum Bezæ est homo mendacissime, vitâ?
Non est Romanæ bestia Bezæ Scholæ.

IX. De Constantia fœminæ, ad Lectorem.

COgito quid quæris, quando nil cogito? nempe
De fœminæ constantiâ.

X. Cur Beda dictus venerabilis.

NOn divi aut sancti titulo, venerabilis olim
Nomine, sed dictus, Beda Britannus erat:
Quo Sancti Insani, quo Divi Dæmones ævo
Dici cœperunt, scilicet ille fuit.

Finis Decadis primæ.

DECAS. II.

I. Ad IACOBVM Regem.

BEl, Babel, Babylon perijt, ceciditque, ruitque,
A Daniele, Deo, Marte Iacobe, tuo.

II. Ad eundem.

MArte triumphatis horrendo Roma, Britannis
Cæsaris invicti iactitet arma sui:
Arte triumphandâ iam magna Britannia, Româ
Fert te ad sydereas, Rex Iacobe, domos:
Cuius maior honos? tuus est, an Cæsaris? ille
Armatus, sed tu victor, inermis eris.

III. Ad Georgium. Villars equitem, &c.

QVi fuit Augusto Mæcenas, ipsus & idem
Cùm iam sis domino vir generose tuo:
Asta, insta, persta: fœlicibus vtere fatis:
Te Maro fautorem sic habeatq́; suum.

IIII. In fugitivum.

DVm fugitive fugis, vicinas curris ad ædes:
Dic mihi quis furor est, ne capiare, capi?

V. Ad Laberium.

LIbros scribere posse te disertos
Affirmas Laberi: quid ergo non vis?
Libros scribere qui potest disertos,
Non dicat Laberi; putabo posse.

VI. Ad Viretum.

DIc, nam scire velim cur tu dicare Viretus?
Hincne est quòd vireas semper in ore virûm?

VII. Ad Petrum Martyrem.

MArtyres à clarâ meruerunt morte vocari:
Te verò vt Maryr sis, tua vita facit.

Ad

VIII. De Cane ab Anna Regina fortuitò interempta, pro Cervâ.

Quod telum in cervum Dia-Anna volatile misit;
Hoc, cervam ut sequitur, concidit illa canis,
Quis sloat? hanc illi decepta gloria dextra
Maior: credo canem sic voluisse mori.

IX. Ad Petrum Molynæum D. Theol. Parisijs.

Doctrinæ Molynæe decus secundior alter
Quo non, quâ Galli sceptra verenda virent:
Sic hostes Christi immanes, tendis, teris, occas,
Vt iam sis molitor, qui Molyneus eras.

X. Ad eundem.

Hæc mola secingit puram de farre farinam;
Nempe reformatam, Papicolumq; fidem.

Finis Decadis secundæ.

Decas. III.

I. De Tridento oppido in Rhœtia, & fluvio in Anglia, vulgò *Trente*.

Sic habet Angla suum, ceu Rhœtia terra Tridentum
Anglia habet flumen: Rhœtia at oppidulum;
In Christum hîc blasphema fides quam Papa coegit,
Viribus Anglorum penè reterta ruit:
Nempe erat in fatis, vt quam tenet Angla, Tridenta
Contrà, Tridentinam diluat vnda, fidem.

II. Aliter in gratiam Tobiæ Mathæi, sub cuius Archiep. est hic fluvius.

Vera fides Christi quondam est fœdata Tridenti,
Iamq; tridentinis purificatur aquis.

III. Ad Papam.

PErmittunt Reges humana evolvere scripta:
Tu non vis homines scripta videre Dei;
Strictius humanis sed ais, divina regenda;
Hoc non est regere Papa, sed est tegere.

IIII. Aliud, ad eundem.

PApa, quid expectas? Pastoris Scipio tantùm est:
Nil sceptra in regum martia iuris habes.

V. De arte Mercandi, Ad Ioan. Wallem, L. M. Londinensem.

ARte est Mercandi nulla ars præstantior? omnes
Sic Mercatores sunt, ut & esse volunt;

Hinc

Hinc res mercari summi dicuntur, & imi:
Sed benè mercari, laus erit ista tibi.

VI. Ad Bullingerum, Theolog.

MAgna quidem in magnum moviſti prælia Papam;
Non Bullingerum, te voco Belligerum.

VII. In Mœchum.

COniuge cum ſocij cubat, & communia dicit,
Quòd ſint amicorum omnia.

VIII. De Medico, & Prædicatore quodam Italo.

HIc prior: ô, inquit ſis ſalvus, Merdice: at ille
Et Prædicator, ſis quoq; ſalvus, ait;
Atq; ita dum regerit, ridens hoc addidit; I, nunc
Quod dederas, quæ mihi Miſta, reſume tibi.

IX. In Histrionem.

SCis cur frequenti congregat à publicè
Plebe ad Theatrum veneras tandem, histrio?
Ideone tantùm veneras vt nil agas?

X. Ad Vitakerum, Theolog. Cantabrig.

COrdibus in cœcis hominum quòd lumina vitæ
Promoveas, vita quàm bene Knyvet eris!

Finis Decadis tertiæ.

Decas IV.

I. Ad Georgium Villars Equit. auratæ Perisc. &c.

Non ego sum dives. Decimas non solvere possum:
Dent alij Decimas, hîc tibi do Decadas.

II. Iter ad cœlum.

Ad cœlum qui carpis iter, tibi sit via pura
Vita, preces passus, gratia sancta gradus.

III. In Papistas.

Papistæ vt approbent suas ineptias,
Sacris neglectis literis, semper solent
Vafri citare testimonia, & locos
Ex patribus: præsertim at ex Gelasio,
Ridiculis enim ipsi, vt quæ citant ridicula sunt.

IIII. Ad Vadianum Theol.

VAdat ad infernam (si vult) Papista paludem;
Ad nostros vades, tu Vadiane, lares.

V. Ad Henricum Wal-lis, Theolog. S. S.

ATh leta ô invicte Dei, fatale videtur
Hoc, nulla hoc misero pax quòd in orbe, tibi?
Lis cos virtutis medio tibi namque resurgit,
Non solet ignavis qua comes esse, viris;
Anglicus at murus, *tibi sed &* aheneus *antes,*
Quis stet contra hostes optima vita, tuos.

VI. De Vrsini Theologi Catechismo.

VT sacra fidei documenta incognita vulgo
Colligat ex sacris, implicitusq́, locis:
Et vigilat, videt, & vertit, scribitq́, legitq́;
Num verè Vrsinus dicitur iste labor?

Ad

VII. Ad Ioan. Davum.

Dave, tibi nullus veteri pro stemmate certet:
Es centies quintus D-avus.

VIII. De Marnixi tabulis differentiarum.

Quàm vivas quondam tabulas depinxit Apelles,
Marnixus vivas tam dedit inde suas;
Pro tabulis summa est amborum gloria, sortis
Pinxerat hic Papæ, pinxerat ille Paphi.

IX. De Marnixo, & Mornæo.

Papam Marnixus, Papam Morneius urget:
Serius hic mordet, mordicat ille ioco.

X. In Bœticum.

Quàm bene te novi, nam sunt tibi Bætice semper
Aurigrique pedes, lanigerumque caput.

Finis Decadis quartæ.

Decas V.

I. De Lyca Cupidinis fictio.

Torserat è Pharetrâ telum lethale Cupido,
Extinxitq; sua lumina clara Lyca:
Id Venus vt vidit, miseram miserata puellam
Venerat, atq; oculos præstitit ipsa suos,
Illa autem exclamat, sodes me tangere posthac:
Hos si vis oculos ladere, lade tuos.

II. Ad Iacobum Marchionem Hamiltoniæ, &c.

Vidisti Romam, vidit te turbida Roma:
Deterior vestrum neuter at inde fuit:
Mens tam sancta tibi est, corrumpi vt nescia: & illa
Tam nequam est, vt non nequior esse queat.

III. De eadem *Roma*, quæ inversa sit amor.

NVlli inversus amor, fuerit nisi brutus, amatur:
Roma amor est versus: quis nisi brutus amet?

De

IIII. De Religione reformata.

NOn primæ exesam scabrâ rubigine ferrum
Lima polit, forti ducta, reducta manu:
Sic neq; Religio cæcis inclusa tenebris,
Mente acri primum versa, reversa nitet;
Ante Hussum Valdus, dein Calvinumque Lutherus:
Et demum sacras Beza repandit opes.

V. De sua, E. Walle.

MOntibus in celsis alij sua gaudia ponam,
Nil curo: est cordi Vallis amœna mihi.

VI. Ad Iacobum Portæum, Theol.

QVod si amissa foret Portæe, scientia rerum;
Hæc posset studijs esse remissa tuis:
Nil quicquam est in quo non sic versaris, vt ipsas
Possis Aonas ipse docere Deas.

VII. In Calvionem.

Nôstis cur nullos habeat iam Calvio crines?
Est crines Glauca quòd dedit ille sua.

VIII. Lindani Papistæ liber de Hæreticis, titulo Dubitantij.

Lindani Hæreticos liber hic dum continet omnes,
In quâ parte libri sit, petis, ipse sui?
Nulla equidem pars certa datur: cur? maximus ipse
Hæreticus toto cernitur ille libro.

IX. In eundem.

Est tutus hic Lindane liber Dubitantius; *esto:*
Nil quicquam est de quo non dubitare queas.

X. Ad Illyricum, Theol.

Nec Lyra te fallit, nec te Papistica Siren:
Hinc est quòd rectè diceris Illyricus.

Finis Decadis quintæ.

Decas VI.

I. In Porculum Monachum.

Porcule, te genuit Monachus, genuitq; Sacerdos
Te genuit bubo, te genuitq; asinus;
Quatuor ergo, duos homines, duo bruta, patres
Unus habes: monstrum es sic Meretrice satum;
Quin potiùs fateare unum tibi Porcule, patrem:
Sunt hi unus omnes corpore nam Monachus.

II. Dowali à Garthlandia Domini, Epitaph.

Candida Dowali Gallie decassit in oris,
Quâ melior superas vix videt umbra, domos.
Hunc lugere nefas: nec enim periisse putamus;
Vivit quâ potius vivere parte velit.

De

VII. In Calvionem.

Nôstis cur nullos habeat iam Calvio crines?
Est crines Glauca quòd dedit ille sua.

VIII. Lindani Papistæ liber de Hæreticis, titulo Dubitantij.

Lindani Hæreticos liber hic dum continet omnes,
In quâ parte libri sit, petis, ipse sui?
Nulla equidem pars certa datur: cur? maximus ipse
Hæreticus toto cernitur ille libro.

IX. In eundem.

Est tuus hic Lindane liber Dubitantius; *esto:*
Nil quicquam est de quo non dubitare queas.

X. Ad Illyricum, Theol.

Nec Lyra te fallit, nec te Papistica Siren:
Hinc est quòd rectè diceris Illyricus.

Finis Decadis quintæ.

Decas VI.

I. In Porculum Monachum.

Porcule, te genuit Monachus, genuitq; Sacerdos
Te genuit bubo, te genuitq; asinus;
Quatuor ergo, duos homines, duo brutaq; patres
Vnus habes: monstrum est sic Meretrice satum;
Quin potiùs fateare vnum tibi Porcule, patrem:
Sunt hi vno omnes corpore nam Monachus.

II. Dowali à Garthlandia Domini, Epitaph.

Candida Dowali Gallis decessit in oris,
Quâ melior superas vix videt vmbra, domos.
Hunc lugere nefas: nec enim perisse putamus;
Vivit quâ potius vivere parte velit.

De

III. De Ant. Walle, L.

WAllis bis denos vix dum bene viderat annos,
Bis Terræ extremos vidit & ille situs:
Viderat infameis scopulos resonantibus vndis
Oceani, immensum tollere in astra caput;
Hæc si tanta ausus iuvenis vidisse, quid vltra
Audebit quàm vir, qaàm sit & ante senex?

IIII. Ad Christophorum Herrais Equitem, &c.

HErrais, imò Heros potius, vel Xenius alter
Cùm sis Hospitio vir generose, tuo:
Alcinoi mensas habeat sibi solus Vlysses,
Dum mihi Christophoras *detur adire dapes.*

V. De Ia: Maxveli *Speculo* Gratiæ, & gloriæ, memoriæ sacratiss. Mariæ Reginæ Scotorum consecrato.

QVid Speculi *hoc, & cur Mariæ sacratur? an hinc*
Gratia *ei nomen,* Gloria *detq; suum.* (*quòd*
Certè

Certè: nam in terris Mariæ sic gratia *luxit,*
Vt nunc in cœlis gloria *tota micet:*
Distat at hoc aliis Speculum; *manus vnica in illis:*
Et mens laudanda hic, & manus artificis.

VI. In divitem quendam avarum.

SI quicunque malos amat, & mala, sit malus iste:
Qui bona, *quique bonos tunc amat, anne bonus?*
Sed bona *dives amat; nonne est bonus ergo? negamus;*
Qui bonus est, solos diligat ille bonos.

VII. In eundem aliter.

SI bona quisquis amat bonus est, tunc optimus ipse es:
Te, bona *nam meliùs Divite, nullus amat.*

VIII. Ad IACOBVM regem.

SCripsit Alexandri cùm gesta ingentia magni
Chœrilus: hâc factum conditione ferunt,
Aptos quot faceret versus, tot ut aurea ferret,

Quot

Quotque malos faceret, tot colaphosque ferat.
Alter Alexander sis ô mihi maxime Regum;
Si tibi non alius, Chœrilus alter ero.

IX. Ad Georgium Villars Equitem aureæ Perisc. &c.

DUm certant, faciant, favor an fortuna priorem
Te, merces meriti vênit & ampla tui:
Iuppiter at Britonum, frustra contenditis, inquit;
Postremæ primus sit, volo, iure locus.

X. Epilogus ad Lectorem.

INcipe (nil refert) vel & hîc quoq; desine Lector,
Nomine sunt verso, finit & infit, *idem.*

MVSEVM FHRNTIAS NICVM